INSTITUTIONUM MEDICARUM PARS II.

PATHOLOGIA *cum* DIAGNOSI & PROGNOSI

CAPUT I.

DE

SANITATE & MORBO, *hujusque* SUBJECTO.

PErgimus ad Partem Medicinæ primariam, *Pathologiam* scilicet, quæ absolvitur 4 capitibus:

Primum de *Natura & Subjecto Sanitatis, Morborum & Symptomatum*, agit.

Secundum *differentias* dictorum Morborum considerat.

Tertium considerat *morborum & symptomatum* corpori humano contingentium *Causas*;

Quartum evolvit *rationem cognoscendi Affectus & Causas*, eorumquè eventum, per *signa dicta diagnostica & prognostica.*

Affectus duplicem habet significationem: Accipitur effectivè vel formaliter, quo sensu intelligitur Alteratio corporis, quæ est in Fieri; sicut Πάθος accipitur, quando denotat Passionem introductam. In Pathologia utraque sumitur sensu secundo. Hujùsmodi affectus sunt vel secundùm vel præter naturam. Illi sunt sanitas, & consequenter omnium partium Vigor; Hi sunt Morbi, & concomitantia symptomata.

Corpus nostrum, dum, ceu artificiosa Machina, à sanguine & imprimis spiritu vitali, tam insito quàm influo, ceu impetum illo faciente *HIPPOCRATIS*, actuatur, movetur, & in esse suo sustentatur, *Vivere dicitur. Consistit enim Vita formaliter* seu effectivè *in illa corporis actione, secundùm quam* omnes *operationes debitas vel exercet vel exercere potest; cujus privatio*, quando omnis cessat Operatio & Motus, *MORS dicitur*: vid. *suprà in Physiol. cap.* 2. *p.* 108. Unde, dum est in motu, vitæ talis integritas est *sanitas*, sicuti ejus plus minus labefactatio vitio partium in motu vitali & actione, *Morbus* & Symptoma dici solet. Ut igitur Vita, ita & Integritas ejus ista seu Sanitas, consistit in legitima dispositione seu naturali constitutione partium quarumvis, machinam corporis componentium, per quam agere & operari secundum leges à natura præscriptas aptæ natæ sunt; effectivè verò in omnium operationum, & inde dependentium vigore & perfectione. Contrarium fit in labefactatione seu Morbis; Morbus enim in hujus machinæ labefactatione seu præternaturali Alteratione, ubi vitiantur motus ejusdem & actiones, consistit; Labefactatio autem consistit formaliter in tali partium constitutione perversa, & à naturali mensura degenerante, ut effectivè actionum sequatur defectus, aut plus minus Alteratio.

Ridicula est Quæstio, an morbus sit substantia, an verò Qualitas prædicamentalis? R. Est privatio Sanitatis, non Qualitas. Transeat! Sanitas autem & morbus suam patiuntur latitudinem, cùm videamus à posteriori esse differentiam ætatum dum senes respectu juvenum videntur morbosi, hinc *status neuter*, medius inter sanum & ægrum; introductus est, de quo *quæritur*, *an detur*, Respondeo distinguendo inter Theoriam & Praxin. In rigore Theoretico vix admittendus videtur si ex amussi consideramus machinam corpoream secundum leges naturales; in latitudine autem Practica necessariò obvius est. Senes enim sunt sani, respectivè tantum & in suo genere, atque infantes, debitum autem vigorem sanitatis non habent: unde distinguendum est inter statum neutralitatis *decidentiæ* & *convalescentiæ*. Ille est, cùm homo sanus percipit quosdam defectus in operationibus, ob constitutionem læsam partis cujusdam, utut tamen sit apparenter sanus, adeò ut ambigua sanitas declinet in perfectum morbum: econtrà qui rectè convalescunt, & ex morbis jam restituti sunt, ita tamen, ut adhuc sit Imbecillitas seu Labefactatio quædam, dicuntur esse in statu Neutralitatis Reconvalescentiæ.

Non ergò in ipsa vita morbi consistunt, nec tamen

tamen corpori, nisi viventi, competunt; morbi enim nec sani nec ægri dici possunt. Sunt media vel prodromi mortis, adeoquè vitam insequuntur, & ex ejus radice suo modo succrescunt. Hinc istæ etiam læsiones, quo corpori mortuo insunt, v. g. vulnera, fracturæ, obstructiones, &c. quatenus tales, propriè vix morbi videntur, nisi in quantum vitale principium corporis viventis suo modo afficiunt, in actionibus debitis impediunt, adeoquè tandem corporis primum Movens labefactant.

Quoniam enim corporis saltem viventis affectio est Sanitas & Morbus, semper ad Principium vitale omninò respiciendum erit: siquidem ab eodem & omnes actiones, tàm naturales in sanis, quàm præternaturales in morbosis, procedunt, hinc rectè dicitur; idem esse Principium, à quo fiant Actiones laudabiliter in sanis, vitiosè in ægris, v. g. ab eodem principio, à quo præternaturaliter in febribus æstuamus, naturaliter calemus: item idem Principium est, quod naturaliter movet manus, præternaturaliter verò in epilepsia easdem convellit.

Pertinet huc doctrina de Orthostasi, quam dicunt esse; quamdiu homo adhuc versatur, non tamen rectissimè valet. Verùm potius dicatur Orthostatica Rectitudo Valetudinis. Dixi, Affectus corporis esse secundum naturam & præter naturam. Secundùm naturam gubernatur corpus præceptis diæteticis, Hygiene, præternaturaliter gubernatur Therapiâ, per medicamenta. Utrumque consistit in *judicio Medici*, quod *fundatur in cognitione ægri & universæ naturæ, quibus collatis, tanquam secundum normam, statum naturalem & præternaturalem novit & trutinat.*

Quoad *Subjectum Sanitatis* & *Morborum*, totum sanè corpus, uti sanum est, ita etiam idem ægrotare solet, adeoquè & singulæ ejus partes Sanitatis & Morborum subjecta erunt, utut pro partium varietate, diversimodè. Hic secessum facimus à Veteribus, distinguentibus inter partes activas moventes, contentas nempe & impetum facientes, seu humores & ∿ influos; & instrumentarias motas, partes nempe solidas seu continentes; ubi Veteres rectè quidem dixerunt, Partes liquidas esse causam morborum, subjectum verò esse partes solidas. Fundamentum hujus discessus est hoc, quod Veteres tribuerint parum liquidis, multum verò solidis. Contraria autem ratio est apud nos, ubi secundum Inventa Anatomica minus solidis tribuitur, multum verò *fluidis*, *ita* ut *hæ habeantur partium primariarum principia activa*, *solida* verò quæ *moventur passiva*: unde dico, *subjectum primarium* esse *partes contentas* seu liquidas, spiritus & sanguinem, quatenus hæc ipsa propiùs vitæ radicem attingunt; *secundarium* vero sunt *partes solidæ* seu continentes. Ut enim vita & sanitas in spiritu & sanguine radicaliter & fundamentaliter consistunt & dependent, in partibus verò solidis seu continentibus non nisi relativè & per denominationem, quod scilicet sint viventes, quatenus sanguine & spiritu vitali irrotantur; ita etiam primarii morbi istis inhærebunt, & principale adeò morborum subjectum erunt, pro quorum ratione corpora nunc sana sunt, nunc ægrotant; in his non nisi secundarii, quæ ob id minus principale Subjectum constituunt. Nam spiritibus & sanguine naturaliter se habentibus seu dispositis, & partibus solidis, ceu instrumentis, legitimè eorum vim recipientibus, corpus est sanum; præternaturaliter iis affectis, hoc est, morboè, corpus est ægrum, ejusque vitiantur actiones; pars liquida vero alterata & vitiata, mortem infert. In genere omnes alterationes, imò febres omnes, in ⊖ibus alteratis & vitiosis consistunt.

Cùm ergo spiritus & massa sanguinea principales sint actionum vitalium Autores, à quibus eæ effectivè dependent; partes verò solidæ sint tantùm instrumenta, sequè habeant (1) in actionibus purè passivè, (2) nec propriam ad actiones habeant activitatem, sed (3) per suas organicas conformationes istis primariis agentibus inserviant tantùm ad Actiones; unde & (4) in vivente & mortuo quævis organa, quatenus taliter conformata, eodem se habeant modo, non secus sanè ac malleus se habet ad fabrum in fabricatione ferri; & (5) eorum læsiones, v. g. ossium fracturæ, vulnera & ulcera, non minus in cadavere, quàm vivente sint subjecto, (6) iisquè licèt optimè se habentibus, Intemperie & Conformatione tamen Actiones lædantur; & ut (7) taceam varios lusus naturæ in harum partium formatione, sine subsequente morboso statu: propterea *spiritus & massa sanguinea erunt primarium & proprium subjectum Morborum*, cùm his vitiatis, ceu primariò agentibus, necessariò lædantur actiones, h. e. corpus ægrotet; partes verò solidæ seu organicæ tantum secundarium & improprium, cum non tam lædant per se actiones, quàm quod vitio conformationis suæ organicæ eas, ceu læsa instrumenta, tantum impediant, unde nec ægrotare propriè dici possunt.

Certè, sicut omnibus patet, insigniores & successivas istas corporis mutationes, quæ per ætatum vicissitudines contingunt, ita ut ultima senectus tandem *ipsa* morbus evadat, tantum ratione *massæ* sanguineæ mutatæ, & spirituum, imprimis influentium, diversimodè dispositorum evenire, sensiles à testibus sub pubertatis annis corpori inductas operationes ratione eadem corpus immutare, partibus solidis organicis sub omnibus istis mutationibus in eodem statu persistentibus, nisi in quantum ex sanguinis varia alteratione in nutritione forsan patiuntur; ita repentinæ corporis sub morbis læsiones, & in ejus actionibus mutationes, nonnisi à disposita diversimodè & præternaturaliter alterata massa sanguinea, à spiritibus vitiatis oboriuntur, adeò, ut istis morbosè affectis tota machina non ritè, nec secundùm constitutas naturæ leges, gubernata in præternaturales actionum & operationum læsiones exorbitet.

Omnes ergo in genere & specie corporis partes, tàm spirituosæ tàm solidæ, subjectum sunt morborum, utut non raro hic observabilis sit circulus, ita ut unius partis vitium affricetur alteri, & hujus hinc nata læsio illud prius erratum deterius reddat. Observandum ulterius *in Morbis internis*, quasi sponte naturâ enatis, & in quibus causa materialis seu humorosa peccat, *duplicem subjecti esse rationem*: nempe dum distinguendum est inter *subjectum Denominationis* & *Inhæsionis*. Illud est tota machina corporea, quæ, quocunque laboret affectu, ægrota est; hoc est determinata quædam pars hominis, ratione cujus totum corpus ægrotare dicitur. Sic cui crus fractum,

fractum, dicitur ægrotare pede, quatenus is est subjectum inhæsionis seu particulare. Subjectum hoc inhæsionis est vel *subjectum Radicationis* vel *Affectionis* seu *Passionis*. Illud alio nomine vocatur *fomes* seu *focus morbi*, & hoc subjectum nil aliud est, quàm *subjecti inhæsionis causa*, in quo latet causa morbosa; adeoque respectu vel causæ efficientis vel materialis. *Illius efficacia*, ubi speciatim & particulariter se exserit motu & effectu præternaturali, ibi morbi subjectum dicitur: *Hujus vero sedes*, ubi prima est, aut ratione originis, aut ratione distributionis, est subjectum causæ seu fomitis morbosi, v. g. consideretur *epilepsia vitio splenis* enata: in hoc morbo causa efficiens proxima est spirituum impetus, spasmorum epilepticorum primus Autor; hinc partes fibrosæ, motu isto spirituum præternaturali affectæ, subjectum morbi sunt inhæsionis; materiæ verò istius acidæ, in splene hærentis ratione, quæ materialem causam constituit, & hostili vellicatione spirituum impetum provocat, hic fomes seu subjectum fomitis seu radicationis existit. Hinc stomacho à crapula malè affecto vertigine caput rotatur: stomachus hic subjectum radicationis seu fomitis; caput vero, & in eo contenti spiritus, subjectum inhæsionis existunt. Quod si causa materialis eandem occupet partem, quæ morbo speciatim affligitur, *Morbus per essentiam* appellatur; si verò in alio loco hæreat, *Morbus per Consensum* enascitur.

Res omnes præternaturales in Morbum & Causam morbificam rectè dividuntur: Morbus vero in partis affectæ læsam constitutionem, & exinde natam vitiatam actionem seu functionem subdividitur, quæ læsæ functiones primaria symptomata constituunt, à quibus cætera symptomata in excretis & qualitatibus mutatis dependent. Morbus nempe præsupponit causam, & post se trahit effectum seu symptomata, quæ sunt vel primaria & immediata, ut symptomata in actionibus læsis; vel secundaria & mediata, ut symptomata in Qualitatibus mutatis, & denique symptomata in excretis & retentis.

CAPUT II.
DE
DIFFERENTIIS MORBORUM.

D*Ifferentiæ essentiales* Morborum *desumuntur* à *Subjectis eorum proximis*, quæ vel sunt

I. *Spiritus*, tàm *insitus* quam *influns*; quorum uterque morbosus vel in
  1. *Quanto* seu defectu.
  2. *Quali*, seu substantia.
  3. *Motu*, aut excessivo, aut diminuto, aut depravato.

II. *Humores*, seu *Contenta Morbosa*, sunt vel
  1. *In Quanto*, dum
    (1) deficiunt
    (2) excedunt seu abundant: quod Vitium in sanguine *Plethora* dicitur, quæ
      (α) Vires } vel ad } Utraque vel { (α) Vera
      (β) Vasa } { (β) Apparens
  2. *In Quali*, seu Substantia
    1. *Primario* in vitiata crasi, seu Cacochymia. Hæc consideratur vel ex sensu.
      (α) *Hippocratico* secundum sapores potentias & facultates.
      (β) *Galenico*, unde Cacochymia vel biliosa, pituitosa, melancholica.
    2. *Secundario* in læsa Fermentatione, aut
      (α) Excedente } sive considerentur { Absolutè
      (β) Deficiente } { Respectivè.
      (γ) Depravata }

III. *Partes continentes*, vel ratione.
  1. *Materiæ*, Morbi Intemperiei vel
    (1) Secundariò elementaris.
    (2) Primario vitalis.
      (α) Universalis.
      (β) Particularis.
  2. *Extensionis* seu *Quantitatis*, & *hujus determinationis* secundùm
      (α) Longum. Morbi Figuræ.
      (β) Latum. Morbi Quantitatis.
      (γ) Profundum. Obstructionis morbi.
  3. *Unionis mutatæ* seu *nexus partium continuatarum*.
      (α) Morbi Compositionis.
      (β) Solutæ Unitatis morbi.

A duplici fundamento morborum differentiæ desumi solent.

1. *A Subjecti morbosi varietate.*
2. *A multiplici circumstantiarum concursu.*

Priores constituunt differentias *essentiales, posteriores* verò *accidentales.* Cumque superius totum corpus ægrotare, adeoquè morborum & sanitatis subjectum esse, dictum fuerit, hoc ipsum verò compositione sui mechanicâ ex triplici partium differentia coaluerit, etiam *essentiales morborum differentiæ triplices* erunt.

1. *Morbi spirituum, seu impetum facientium.*
2. *Morbi sanguinis & cæterorum contentorum humorum,* vel *partium liquidarum*; &
3. *Morbi partium continentium solidarum.*

Accidentales vero *Differentiæ* pro circumstantiarum circa causas, subjectum, symptomata, Tempus, Motum, Quietem, &c. observabilium varietate, erunt tantum non *innumeræ.*

Cum namque sanguis & ~ primum sint Vivens in puncto saliente & ultimum Moriens, quin & his affectis reliquæ omnes partes, licèt salvæ, afficiantur, totaquè machina corporea morbosa jaceat, ac alterationes insigniores, quas sub annorum serie ætatumquè nomine patitur homo, ab his variè alteratis oriantur, insignesquè mutationes totius sub pubertatis annis, mediantibus istis à fermento testium inspirato immutatis, contingant, sanè erunt primarium, quamvis solidæ secundarium saltem morborum subjectum.

Spiritus morbosi sunt quando deflectunt à naturali & requisita constitutione, quæ ad corporis regimen in iis requiritur, sive Insitus fuerit sive Influus. Eorum natura consistit in eo, quod sit volatilis substantia, seu Gas fermentando ex sanguine volatilisatum, per modum lucis radians.

Constituti autem *sunt morbosè & præternaturaliter Spiritus Influxus & Insitus.*

1. *Ratione Quantitatis,* quando non gignuntur in debita Quantitate, vel nimis absumuntur, vel cito dissipantur.

Si non gignuntur in debita quantitate, aut deficiunt à debita copia, ad corporis ac ejus partiũ regimen requisitâ, fit ex defectu spirituascentiæ, qua ratione ~ influi deficiunt in inedia aut impuritatibus massæ sanguineæ, aut diuturnos post labores: tunc ex defectu spirituum influorum oritur primæ digestionis vitium, & universum corpus languet. Nimis absumuntur in quibuscunque exercitiis, spirituum dispendio conjunctis, qualia nimius motus, studia, ♀, &c. quæ spirituum dispendium in se continent, & post hypercatharses, aut nimias sangvinis profusiones summa virium, & quarumvis operationum vitalium deficientia, supervenit. Subitò dissipantur in gravioribus animi affectibus, in gaudio, ira, mærore, &c. in quibus radiosa spirituum textura avolat quasi. In subitaneo mœrore obruuntur ~ eorum enim vehiculum, sanguis, obrutum eos non potest explicare, hinc tanquam suffocati moriuntur ægri. His spirituum defectibus facilè occurrimus, attendendo sanguinis motum fermentativum, & augendo ~ per homogenea, qualia aromatica cum ⊖ibus volatilibus. *Spiritus Insitiu deficit,* dum vulnere, vel ulcere, vel frigore, vel paralysi læso membro, debilitatur, & successivè imminuitur, & attenuatus absumitur; hinc enim membrum unum alterumvè debilius postmodum observatur, quod vocatur *ab* HELMONTIO *Robur partis inæquale*; & quoniam pars ita debilitata præ alia robusta magis ab alteratione △is afficitur, membra talia *Ephemerides Ægrorum* dicuntur.

2. *Ratione Qualitatis* seu substantiæ spiritus Influus & Insitus mutantur, dum vel vitiosè, & à naturali constitutione deflectentes, generantur, vel geniti aliunde, à re peregrina, in specie causis malignis, commista vitiantur. Maximè hoc fit in depravata hœmatosi, & deficiente, legitima scilicèt, spirituascentia, ut fit in specie in morbis Chronicis, in quibus sanguis corruptus & alteratus non rectè fermentans in spiritum luminosum non potest volatilisari; v. g. Influi vitiosè generantur in Cachecticis, scorbuto vel malo hypochondriaco, Melancholia confirmatis, ut in Cachecticis minus volatiles sint, in hypochondriacis seu scorbuticis minus lucidi, sed obscuri. Hinc fit, ut ex peccante Qualitate seu substantia spirituum, Operationes animales pervertantur: id quod Cholericorum, Melancholicorum, Phlegmaticorum, &c. in actionibus differentia, vel naturali sub statu sufficienter confirmat. Coincidunt spirituum hæc ratione qualitatis seu substantiæ vitia morbosa, cùm mutata Quantitate; habent se enim ut effectus & causa immediata: siquidem omnes quantitates ex substantiæ materialis textura formali oriuntur. Ergo vitia spirituum in substantia necessariò eorum mutatas quantitates post se trahunt. & vitia spirituum in qualitatibus mutatam eorum substantiam præsupponunt, adeoquè sive substantiam, sive qualitatem, mutari dicamus, res eò recidit. Hæc vitia intrò occurrentia sunt leviora: magis incumbit negotium, si ab extrinseca materia, v.g. in peste à miasmate maligno, item à narcoticis & opiatis assumptis, vitiantur seu alterantur. Pertinet huc subitaneæ mutationes & periculosæ suffocationes, evenientes iis, qui versantur in conclavibus, in quibus carbones incensi, ac in cellis cerevisiariis. Pertinet huc affectus, qui occurrit iis, qui in metallifodinis occupati sunt; hi enim insensibili aurâ afflati intereunt. Quoad *spiritum insitum,* vitiatur hic in *quali,* v. g. in ulcere; ibi enim ex contracto vitio nutritionem pervertit, & nutrimentum loco assimilationis in pus vel saniem corrumpit; item alterationes vulneribus supervenientes similes in qualitate mutatum insinuant spiritum, hinc deficiente spiritu, v. g. in moribundis, vulnus sine materia videtur, & observatur aridum; sicut & in gangræna penitus ad destructionem ejus vitiatur Insitus.

Quæritur, undenam spiritus Influi volatiles tunc afficiantur primariò, ut volatiles & luminosi extinguantur?

Dico, spiritibus volatilibus nihil posse commisceri seu hos inficere, nisi quod sit homogeneæ naturæ cum iis, quæ non sunt de Natura Gas spirituosi. Talia autem sunt dicti halitus ex liquoribus fermentantibus. Talia etiam sunt halitus, qui exspirant ex carbonibus incensis, & in metalli fodinis; cùm in dictis locis reperta Gas sylvestria △ea, spiritibus se immisceant, & eosdem extinguant. In talibus locis nunquam candela perdurat. Nil dicam de antro canino Neapolitano in Italia, in quo non solum candelæ extinguuntur ita, ut ne scintilla supermaneat, sed & canes, simulac eo deveniunt, licèt in limine quasi adhuc constituti hæreant, in momento suffocantur, utut hominibus nihil incommodi exinde adveniat. Et omnia hæc loca, quæ non ferunt candelas vel lumen, e. g. die Wein- und Bier-Keller, in momento suffocant homines, propter ~ homogeneos exhalantes, quibus spiritus afficiunt nostros, eosquè extinguunt, & sic mortem inferunt; parili ratione atque dicti spirituosi halitus △ei extinguunt quamcunque accensionem, sic & ~ obruti necessariò delentur. Similis ratio est in opiatis, quæ turgent simili halituoso △e, simili isti, ubi in dictis locis liquores fermentantes inclusi exhalant: nempe simile △ ex omnibus assumptis opiatis ~ influentes vel figit vel opprimit. Hinc qui læsi ab halitu insperato sive per fermentescentis cerevisiæ, sive Gas carbonum, optimè curantur aceto, infuso naribus. In omnibus affectibus, quæ ~ protinus afficiunt, adhibentur insigniter odorata, quæ

quæ maximum auxilium inferunt: meritò urget *HELMONTIUS* & taxat, quod Odorifera neglecta sint, cùm odoris maxima efficacia sit in omnibus subitaneis affectibns, ubi odorifera ⊖ino-♃ea utramque faciunt paginam. Passionem hysterica sistunt Odorifera fœtida.

3. *Ratione motus*, spiritus influo speciatim convenientis, qui est vel elasticus, vel irradiativus.

De spiritibus enim animalibus in specie res clara est, quod per debitum influxũ vel motum imprimis animales administrent functiones secundùm ideas in eorũ lumine pictas; hinc contingit *nunc torpidos nimis eos esse, minusque moveri*, quando ipsi minus subtiles, aut minus volatiles & mobiles existunt, & à debitis excursionibus cessant, sive ab internis causis, v.g. lethargo & catalepsi, tales fiant, & omnibus affectibus soporosis, ubi ∽ tardius moventur ex causa cerebri, nimiâ lymphâ impleti, unde tanquam per nebulam nunc radio a spirituũ textura trajicitur, & minus fortiter radiare possunt, unde depravatè moventur; sive ab externis, Opiatis aut Narcoticis similibus, vel assumptis vel applicatis tales fiant: *Nunc verò iidem nimis mobiles & nimis agiles existunt*, adeò, ut à quacunque irritati & agitati causa, in impetuosos & inordinatos aut exorbitantes erumpant motus, tàm in cerebro, qualis v.g. in deliriis Febricitantium, aut Phreneticis; tàm in membris, ut in convulsionibus epilepticis, aut similibus convulsivis paroxysmis, item Paraphreniticorum deliriis, evidens est. Posterius hoc vitium non in ipsis spiritibus, sed sæpiùs aut in cerebro, artubus aut membris quærendum est à causa occasionali materiali, molè licet minima, fibras quasdam sensiles vellicante, & intensiorem impressionem faciente, adeoque, ut vocant, *irritante*, originem habere solet; v. g. dum spicula Antimonii minima spirituum impetum ad vomitus violentiam in stomacho provocat; dum molesta calculi in renibus præsentia, fibras nerveas vellicando, spirituum supernaturalem impetum ad colicam, alvi occlusionem, nauseam, interdum etiam vomitus, provocat. Occurritur facilè. Lethargici enim affectus curantur per blanda sudorifera cum volatilibus spirituosis urinosis, sic discussâ lymphâ, facilè cessat affectus. Perversi eorum motus per causæ stimulantis in membris externis ablationem tolluntur. Immediatè occurrimus iis per Opiata & Narcotica dextrè parata, quæ ♃e suô supprimunt ∽ exorbitantes. Spiritu hoc elastico imminuto, etiam radiativus ab illo suo modo procedens, imminuitur; hic verò radiativus vitiatur, v.g. in contusionibus. *Vitiatur*, tamen etiam *in motu*, nempe elastico, & cum influo blandè collisivo, *Spiritus insitus*; *Nunc enim augetur*, quando ex irritatione sensilior & hinc potentiori influẽtis radio cõcitatior, utriusq; fermentativus & collisivus fit motus, inde enim *Rubor*, *Calor*, *Tumor*, & similia, & omnia ea pathemata, quæ ex Archæi furore & excandescentia derivat *Helmontius*; *nunc imminuitur*, v.g. in torpore aut nimio frigore, in moribundis, senibus, &c. item in terrore & pavore, dum spiritus influi sufflaminato plus minus radio, & insiti motus plus minus cessat, hinc Algor & Tremor, & tandem Stupor ex Tremore: *nunc depravatur* sub nutritionis vitiis, læsionem ejus in crasi seri substantiæ præsupponentibus *de quibus suprà*.

Ad morbos hos spirituum etiam *Archaales morbi*, ab Ideis vitiatis *Helmontio & Marco Marci* dicti, pertinent: *Helmontius* enim statuit ∽ duplices, Insitos & Influos. De Influis cum nobis consentit: *Spiritum Insitum*, dicit, *esse fabricatorem primum corporis*, quem vocat *Archaum Fabrum*; & quidem hunc Archæum vim suam formativam obtinere dicit ab Ideis, seu imaginibus in eodem repræsentatis. Dum ergò, sicuti per ideas seminales, tanquam tot Imagines Archæo impressas, successive evolvendo diriguntur spiritus in machinæ corporeæ operationibus naturalibus, tàm in partium formatione quàm formatarum usu; ita parili modo ab Ideis peregrinis seu adventitiis, & eatenus morbosis, tàm quas aliunde suscepit spiritus, quàm quas proprio motu, occasione quacunque excitatus, sibi formavit, perficiuntur actionum depravationes præternaturales, ita ut morbus consistat materialiter in parte quadam spiritus vel Insiti vel Influi, formaliter in Idea vitiosa, spiritum ad præternaturales Actiones determinante. Hoc ipsum fusè illustrat per Imaginationem maternam, dum e. g. mater sibi fortiter imaginans imaginem Elephantis, parit fœtum elephantinum. Nam sicuti Idea matris per imaginationem concepta & anteà repræsentata determinat Archæum spiritum, ut alio modo formet partum, quàm ipsius seminalis Idea determinavit, ita etiam si postmodum formatis partibus, Archæo aliæ superinducantur Ideæ peregrinæ morbosæ, potentiores Ideis seminalibus ad usum partium destinatis, turbabitur ac perturbabitur ab iisdem Archæus seu spiritus vitalis, & ad præternaturales actionum læsiones determinabitur, sive tales Ideæ morbosæ *ab extra* adveniant & communicentur, vel per assumpta, v.g. Venena, Narcotica, &c. vel per morsum animalium venenatorum, ut viperæ, canis rabidi, puncturam tarantulæ, esum cicutæ, vel esum carnis felis rabidæ; *sive ab intra* occasionali quacũque causa materiali irritatus Archæus diversas passionum exorbitantias, indignationis, furoris, terroris, pavoris, &c. concipiat, quarum passionum Ideæ morbosæ, postmodum & vitiosè actiones ejus dirigãt. Ex hoc puncto morbus nil aliud esse, dicit *Helmontius*, nisi partem Archæi insiti, per Ideam peregrinam morbosam vitiati, à quo Archæus dirigatur morbosus, ita ut omnis morbus sit substantia, constans materiâ & spiritibus insitis, vitiatis ab Idea peregrina: Unde dicit, remedia efficacia consistere in Idea tali, quæ expugnet morbosam Ideam, ut, hâc deletâ, pervertatur morbus. Ut per exempla res fiat clarior: *Canis rabidi morsus* vel saliva hominem similiter reddit rabidum, ut non tantùm in canem se mutatum existimet, unde omnes eorum actiones imitatur; sed propterea in ⊡talium ægrorũ catulorum simulacra appareant, propter Ideas scilicèt canis rabidi seminales in saliva ejus sigillatas, & per morsum in corpus humanum traductas, & Archæo communicatas, quæ Ideæ confusæ in corpore, suo tempore evolutæ, Archæum seu spiritum insitum adeò determinent, ut homines tantùm non in canes mutati videantur, præterea que canum corpuscula secundùm Ideas istas in lotio formentur. Has ergò peregrinas Ideas delere, & per consequens morbum curandi modũ, docuit Experientia, si scilicèt tales Rabidi & Hydrophobi ex improviso aliquoties submergantur in aquis, ibiq; aliquamdiu detineantur; sic enim terrore, & pavore mortis, & inde concepta fortiori Idea, omnes istæ peregrinæ delentur & quasi abstergentur; ut imposterum Archæum determinare nequeant. Pergit & illustrat *erysipelate*: dicit hanc oriri, si Archæus in quadam parte in furorem excitatur, undè impetuosè sanguinem effundit. Curatur, inquit, per remedium contrarium, quod debet curare delendo furorem Archæi per contrarias Ideas, pavorem scilicèt. In lepore autem reperitur hoc medicamentum. Pariter in dysenteria intestina dolent, crispantur, & proprium eorum nutrimentum sub immani cruciatu profunditur, idque omne ex furore ∽ insiti, concepto ab hostili acido dysenterico. Curatur hic affectus per sanguinem pavidi animalis, leporis scilicèt, sub pavore mortis à canibus persecuti & interfecti: Idea nempe ingentis pavoris in lepore moribundo spiritum sanguinis ejus signat, ut hujus pavidæ Ideæ intuitu Archæus intestinorum furens, omnem furorem subitò exuat, & quasi perterritus ab omni impetu quiescat, dysenteriaque

teriaque ita cesset. Sic non tantùm urget quod *Quartana* subitaneo terrore interdum curetur, quod etiam valet in Hæmorrhagiis & mensium nimio fluxu; sed etiam Maniaci & Furibundi, si subitò submerguntur sub ▽, quasi essent suffocandi, extrahuntur sanati; sicut sanguinis è naribus fluxus sæpè insperatâ ▽æ adspersione sistitur. *PANAROLLUS in Observat.* habet exempla ejusmodi multa, qui per terrorem, seu perturbationem animi curati sunt. Confirmare hoc quoque videtur *Podagricorum* historiâ, quibus Acidum vitiosum ex stomacho effusum, Archæum infestans, istum dolorem & tumorē efficit; hinc cura vulgaris est frustranea, quia non deletur simul Idea in podagra introducta. Sic notū est, quod refert *HILDANUS in Observat.* quosdam Podagricos beneficio continuæ torturæ dolorosæ fuisse curatos. *Salmuth* applicavit pedidolenti cataplasma ex appropriatis, venit sus, appropriata olfaciens, eum miserè vexavit, cataplasma vi detrahendo & devorando, ita ut podagram perdiderit. Scio Cauponem, ad quem venit jocosus, & pedem dolentē miserè pulsavit in scamno, dicendo: **Du loser Fuß/wie thustu so einem ehrlichen Manne so weh**; tunc paroxysmus & podagra desiit. Excrescentiæ magnæ scrophulæ & verrucæ, curantur, si manus cadaveris tabe vel alio diuturno morbo vexati & penitus extincti, tangatur, fit ut frigus cadāveris penetret eandem, hinc fit ut dictus Tumor deleatur. Factū hujus rei est experimentum in *Transact. Philosoph. Anglicanis*, ubi *BOYLE* de servo refert, cujus manus verrucis undique obsita ex attactu domini mortui, præcipuè manus, sanatus est: quod fit, quatenus Archæus vitalis in excrescentia, dum sentit corpus externū, diuturno morbo vexatum, horret. Sic maculæ maternæ ex puelli primogeniti denati attactu, & quidem sæpiùs admisso, dicuntur perire, & disparere. Bufo etiam ad mortem flagellatus, & externè appensus, contra ejusmodi morbos ex furibunda Archæi turbatione, & præcipuè contra sanguinis fluxum, conducit. Serpentes etiam ita extincti laudantur: de quibus, & ad quid prosint, videbitis in *Disputat. mea de Morsu Viperarum.* Similiter dens dolet ex furore spiritus insiti, concepto ob acidum vitiosum, dentis radicem vellicans: curatur hic admotione ossiculi bufonis ex humero, ab homine mense Junio vel Julio violenter interfecti, de quo ita *HELMONTIUS: Fricantur eo gingivæ.* Idea namque ingentis pavoris in bufone moriente etiam ossium Archæum signat, cujus pavido ideæ ceu contrariæ intuitu, Archæus furens dentis omnem subitò exuit furorem, & quasi perterritus ab omni impetu quiescit, & ita dolor cessat. *Marcus Marci* cum sale marino & oleo composuit liquorem, cui immisit bufones, & eô compescere voluit dolores quosvis. In Epilepsia, ex idea ejusmodi malè impressa, ossiculum bracchii bufonis appensum, & pulsibus impositum conducere dicitur: internè & pulverisatum, cum lacte propinatum, in *Silesia* profuisse, mihi relatum fuit.

Sed de his Archæalibus morbis, ex Ideis morbosis omnium maximè videndus *HELMONTIUS in suis Scriptis*, item *MARCUS MARCI in Philosoph. Veterum Restituta*, qui omnia venena, item vulgò vocatos morbos Occultarum Qualitatum, item actiones Sympatheticas, & Curationes per Magnetismum & Transplantationem ex talibus Ideis derivant, quæ tamen eo fine adjecta volo, non quasi ea vobis obtrudam, sed ut occasionem subministrē in ea ulteriùs inquirendi. Quidquid sit de hac hypothesi non parū plausibili, sanè Imaginationis matris effectus, morbi patris hæreditarii itē Imaginationis effectus in curandis morbis, & variis corporis alterationibus, & cujus ope ubertim corpus purgabatur in hera, cujus ancilla ipsi præscriptas devorabat pilulas; item contumacissimorum morborum, v. g. podagræ, paralysis, quartanæ diuturnæ, &c. omnem consuetæ medicinæ eludentium opem, citra materiæ suppositæ peccantis quamcunque excretionem, subitò per quendam animi affectum, aut rei intensiùs appetitæ assumptionem, evanescentium, hypothesin hanc ejus vel maximè illustrare videntur.

Altera Classis est Morborum in humoribus contentis, primariò quidem *sanguinis*, hinc & *chyli, lymphæ, bilis*, &c. *Morbosi hi fiunt*, & à constitutione naturali pro conservatione corporis requisita degenerant *primo* in *quanto* dum deficiunt. Commune hoc est vitium quibusvis in corporis humoribus, primariò tamen massæ sanguineæ, ceu primario corporis contento, & cui radix vitæ inhæret. Hic enim, uti circulatione per vasa partes nutrit & auget, easque calore vitali fovet; ita & spiritu vitali salino balsamico turgidus spiritum insitum conservat, omnesque partes à corruptione & putredine tuetur, unde, denegato ejus influxu, partes gangrænatæ moriuntur. Considerari solet *secundò* in *Quali* seu substantia, dum deficiunt à κρᾶσι debita, unde & motus intestinus fermentativus illorum consequenter vitiatur, à quibusdam etiam humores *motu locali*, adeoque & *loco peccare* dicuntur, dum nempe contenta ista corporis fluida, tàm naturaliter quàm præternaturaliter constituta, naturalis motus leges vel excessu vel defectu transgrediuntur, & inde aliena ad loca moventur, in quibus vel subsistunt, vel per quæ penitus extra corpus effunduntur. Sed, si rectè rem hanc consideremus, *non tàm vitia* morbosa, *quā producta* morbosa hæc contentorum in motu & loco errata eruunt, cùm semper *vel spiritus moventis præternaturaliter excedentem aut deficientem impetum, vel viarum, per quas moveri debent, impedimenta & vitia, vel propriam ad motum ineptitudinem à vitiata κρᾶσι & textura materiali dependentem, & ita semper præcedentes defectus morbosos insequi soleant*, v. g. *Odontalgiam insequitur tumor maxillæ* ob stagnationem sanguinis, aut lymphæ propter pororum angustiam, à fibrarum contractura, occasione doloris factâ. Moventur vitiosè contenta in diarrhœis & dysenteriis, sed præcedente tùm ipsorum contentorū alteratione præternaturali, quàm intestinorum & spirituum vellicatione à causa morbosa. Hæmorrhagiæ fiunt nimiæ, vel spiritus nimis moventis, vel vasorum nunc relaxatorum, nunc exulceratorū vitio; habent se enim humores quicunq, in motu locali saltem passivè, alienâque vi agitantur, unde etiam non nisi alieno ex vitio, vel propriæ morbosæ constitutionis præviâ occasione, motu aut loco peccare possunt.

In Quanto deficiunt seu peccant, quando qualiscunque corporis humor contentus, seu chylus, seu sanguis, bilis, lympha, serum, &c. abundaverint vel defecerint. In specie sanguis spiritu vitali turgidus actuat & vivificat corpus, idq; æquali & perpetuâ sui circulatione, quæ sub debita sanguinis quantitate debito peragitur modo: Quando verò, prout per vasa rapitur, copiosior fuerit. *Plethora* dicitur, atque dividitur, quod sit duplex, vel *ad vasa*, vel *ad vires*. *Plethora ad vasa* innuit sanguinis laudabilis uberrimam copiam, quâ vasis & receptaculis ejus nimis distentis & repletis, remora & impedimentum injicitur ejus motui, dum in majoribus vasis promotus sanguis in minoribus vasculis & capillaribus poris ac meatibus, eorum angustiâ impeditus, difficiliùs transit, sicque habitui corporis quandam turgescentiam infert, & futuræ cujusdam sanguinis, vel particularis vel etiam universalis stagnationis, aut insignioris vasorum ruptionis, periculum præmonstrat.

Plethora ad Vires, ubi plus sanguinis adest, quàm regimen totius corporis potest ferre, *est impossibilis*, cùm omnes vires corporis radicatæ sint, in spirituum & sanguinis laudabili statu; unde, nisi ipsas vires viribus vitalibus graviores esse dicere velimus, etiā Plethoram quo-

ad

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0198-8 DFG

ad vires asserere non poterimus: Nam quo copiosior est sanguis laudabilis, eò copiosiores, & vegetiores etiam vires erunt: Probo exinde, quod nil possit ultra suam sphæram agere. Sanguis enim conficitur à vitali virtute: Ergò virtus vitalis non plus faciet sanguinis, quàm regere potest; est enim contradictio in adjecto. Nam alia longè ratio est *habitus Athletici* Veterum Luctatorum, qui saltem ἐυσαρκος & musculosus, adeòque robore artuum insigni notabilis fuit, non nisi uberiori sanguinis spirituosi copia in vasis, indeque ab uberiori sanguineo nutrimento sustentatus; sicut obesorum abundans pinguedo nutrimenti chylosi, circa membranas uberiùs congesti, & blando acido coagulati, congeriem sequitur. Nam ejusmodi *Athletici* se olim cibo & potu onerarunt, & deinde corpus variis lactationibus exercuerunt, unde sanguinis abundantia & ruptio non rarò vasorum, secuta; *Obesi* verò chylo butyroso magis abundant, qui copiosè coagulatur circa fibras, & abit in carnem. Non ergò quivis ἐυσαρκος est Plethoricus, quod probè notandum; reperiuntur enim homines crassi, carnosi, corpora habentes crassa, vasa exilia sanguinis, & non adeò copioso sanguine detenta: reperiuntur econtrà homines graciles, ubi vasa sanguine intensè repleta sunt.

Videretur equidem etiam Plethora ad vasa, aut tanta sanguinis copia, ut vix in vasis coerceri possit, absurda, si velimus considerare chyli distributi, respectu copiosarum alvi fæcum paucitatem, item copiam ⊡æ ex sanguine extractam, cum necessaria continuataque uberrima insensili transpiratione, quam *SANCTORIUS in Medic. Statica* adeò copiosam observavit, quod singulis diebus naturalibus, seu 24. horis tantum insensibiliter ferè difflamus, quantum 15. dierum cursu per alvum egerimus. Hanc ipsam ad vasa Plethoram, injustè tamen, negat *Helmontius*: & verum est, positis his vix probabilis videtur. Sed sola intemperantia otiosa, cum stomacho robusto & fermento activo ex alimentis copiosis & ἐυπεπτοις largiorem laudabilemque chylum, indeque oriundum sanguinem suppeditans, pauco vel nullo accedente motu, cum vita seditiosa minus sensibiliter difflante, aut pauca sanguinis per labores absumptione vel dissipatione, necessariò sanguinis abundantia intra vasa, citra ejus vel stagnationem vel evacuationem vix coërcibilis fomitem continuum subministrat. *In legitima autem diæta, sobrietate, debito motu, &c. impossibilis est Plethora ad vasa.*

Plethoram hanc comitatur

1. Insignis artuum lassitudo, Asthma, & corporis totius ad motum impotentia.
2. Impedita sanguinis circulatio, quam innuit pulsus languidus ob vasa turgida.
3. Periculum vel sanguinis stagnationis; aut universalis, hinc suffocatio; aut particularis, hinc inflammatio: vel effusionis, hinc metus est, ne vasa turgida ac sanguine distenta rumpantur, & hæmorrhagia oriatur.
4. quod sæpè gravidis immineat abortus, fœtu necato.
5. excrementorum insensibilis dispergendorum retentio.

Unde & hæc Plethora, præter lenta inediæ, laboris, vel exercitii frequentioris aut fortioris auxilia, subitaneam venæ sectionis opem innuit, quæ sola huic soli scopo repentè & sufficienter satisfacit. Sed ob id non adeò frequenter est repetenda, cùm rarò adsit talis plethora, quæ non commodè aliis mediis possit inhiberi cum minori vitæ virumque dispendio.

Hujusmodi *sanguinis Plethora ad vasa est vel vera*, quando sanguis copiosus est congestus in vasis, *vel apparens*. De illa jam dictum fuit: Hæc est, quando non rarò sanguis præternaturali aut febrili effervescentia, vel alio simili modo turgescens, instar vini generosi fortiter turgescentis, ebullit, ut vase vix contineri possit, vel idem, nisi detur porta, id in partes dissilire faciat, arterias & venas, distendit, & frequenti, celeri ac magno pulsu rapidè movetur, unde non rarò aut inflammationes ex ejus stagnatione, aut hæmorrhagiæ ex vasorũ ab ejus impetu apertione, cum ἐυροεία succedunt. Revocanda huc venit Plethora illa apparens in mulieribus menstrua nempe mulierum turgescentia & fermentatio sanguinis, qua aliàs sanæ mulieres partem istius, ceu ☽re quoddam tributum solvendo, expurgantur per genitalia: quod si non contingat, debito circulo sanguis per corpus distribui nequit, sed sæpè per alia loca, per nares, mammas, vomitum, oculorum canthos, hæmorrhoides, &c. ejus fit eruptio, nisi artificialiter per venæ sectionem evacuetur; sub hac enim turgescentia patiuntur lassitudinem & dolorem artuum, dorsi, pulsum celeriorem, distensionem in lumbis, &c. Huic respondet sæpè in viris excretio hæmorrhoidum, quæ sæpè periodica. In ista sanguinis turgescentia febrili, aliavè simili, non imitanda statim illa effrenis Gallorum & Italorum licentia, copiosissimè & frequentissimè sanguinem venæ sectione detrahendo, sed potiùs effervescentias compescentibus, fermenta vitiosa corrigentibus; nunc acidis moderatis, uti sunt v. g. Julebi aciduli, ℞ florum bellidis, cyani; calcatrippæ, rosarum, violarum; item succi vegetabilium acidi, citri, ribium. &c. ~ mineralium, vitrioli, nitri, ♃is, ♁is, &c. nunc verò fixis volatilibus temperatis (pro causæ occasionalis diversitate) & debitis diaphoreticis massam sanguineam ventilantibus, e. g. Antimonio diaphoretico, C. C. sine igne, lapillis cancrorum, dente hippopotami, nitro antimoniato, vel nitro probè depurato in potu ordinario dissolvendo, in febribus insistendum.

Plethora ad vires vera suprà fuit rejecta: interdum tamen etiam in praxi Medica *Plethora ad vires apparens* adesse videtur, quando nempe venæ sectionibus & cucurbitulis scarificatis, vel aliis sanguinis detractionibus, adsueti sunt tempore eo, quo istæ solitæ celebrantur depletiones, tantam vasorum distensionem, lassitudinem membrorum, pulsus mutationem, titillationes in loco scarificato, percipiunt, &c. cum succedentibus interdum partium tumoribus, vel hæmorrhagiis, vel aliis diversis symptomatis. *BARTHOLINUS*, refert exemplum viri talis in *Histor. Anatomicis*. Novi virum scarificationi adsuetum, quas omni dimidio anno repetit; *si obliviscitur, ordinariò in dorso dolorem pungentem percipit.* In his certè per se non sæpè adest Plethora, sed consuetudine externa natura fuit immutata, & illa in hujus successit locum: hinc videmus, quod mulieres quoque annuæ venæ sectioni præter debitas menstruationes adsuetæ, illis rectè licèt fluentibus, statuto tamen tempore, nullâ aliâ necessitate urgente, venæ sectionem admittere cogantur, ut præcaveant aliud malum ex ejus omissione futurum. Determinato namque sanguinis quanto per repetitas venæ sectiones, natura adsueta, aliàs per se indeterminata, ceu noxium omne, quod superfluum est respuit. Novi mulieres, quæ consuetæ sunt scarificationibus, quas si omiserint, patiuntur affectus catarrhales sic dictos artuum; si autem repetunt, mala cessant. In his casibus loco venæ sectionum periodicarum aperiuntur interdum *Fonticuli*, sensim absumentes ex sanguine sub specie liquaminis ichorosi ejus redundantem partem, aliàs confertim per venæ sectionem exhauriendam: cui tamen usui vel inedia aut parcior victus & sobrietas, vel exercitium aut frequentius aut vehementius, vel sudor largior arte provocatus, abunde satisfacere potest.

Per se enim totum cauterii, & exinde factæ *Fontanellæ*, auxilium tantum in cruoris minutula, sed continua diminutione consistit, adeòque propriè tantum Plethoræ convenit: Vid. *HELMONTIUS Tractat. Cauterium.* Per accidens verò & à posteriori ac palliativè etiam confert iis affectibus, qui à sordibus quibusdam, vel vitio læsæ in sanguine fermentationis, vel depravatæ cujusdam partis functionis, enascuntur, ita ut labes illæ à priori ob subjecti ineptitudinem, v.g. vel ob senium, vel ob menses deficientes &c. non sint corrigibiles; sic enim unà cum sanguine laudabili evacuatur simul id, quod est nocivum: & quia excrementitium in sanguine suâ naturâ, est proscriptum ab œconomia vitali, ut facilè sit alterabile & separabile, eò faciliùs & promptiùs per fontanellam sic evacuabitur. Simile fit interdum ab ipsa natura, dum hinc inde erumpunt ulcera, quæ sanata per artem corpori non leves dant turbas; sin verò denuò aperiantur, corpus est quietum: Vid. *SCULTETUS Observat.* 55. & 57. id quod similiter interdum in fonticulis observatum, unde aut vulnerati insigniter, aut ulceribus laborantes, raro mensibus vel hæmorrhoidibus evacuantur consuetis, quia tanquam per fonticulum sanguis per vulnus sub puris vel saniei specie erumpit, unde tempore consuetæ illius excretionis vulnera & ulcera in deteriorem delabuntur statum, qui posteà vel sponte melioratur.

In Quali peccant Contenta liquida, quando in genere qualiscunque humor corporis à debita crasi defecerit, indeque proprietates acquirit functioni debitæ, ad corporis conservationem requisitæ, ineptas. Ex continuata enim, secundùm res nonnaturales, alteratione in massa sanguinea hujus varia exsurgit indoles, ac insignis non raro depravatio, fomes ac mater futurorũ morborum. Consideremus ergò alimenta vitiosè sumpta *in Quanto* (2.) eadem licet optima, vitiosè tamẽ in ventriculo ab ejus depravato fermento digesta, (3) optimè licèt digesta, malè tamen in intestinis, vitio vel bilis, vel succi pancreatici, vel utriusq; à fecibus separata, & insigniter depravata. (4) Chylum etiam optimè segregatum, malè tamen ex læsa quacunq; de causa, sanguinis crasi, sanguini assimilatum. (5.) Sanguinẽ ipsum malè per renes ac poros cutis depuratum (6.) Eundem sanguinem per viscera licèt circulatum, diversè tamen, aut sub prima generationis origine, aut ex superventu fermenti cujusdam exotici & peregrini, alteratum; & (7.) eundem sanguinem contagiis externis inquinatum. Omnes hæ causæ, quas vitare vix possumus, necessariò chylum ac sanguinem, indeque cœteros corporis succos mirè alterant & mutant, unde alterati, & à debita & naturali seu seminali crasi deficiunt, adeoq; *Cacochymici* plus minus evadunt, & talis corporis status vocatur *Cacochymia*, quasi inquinatus esset pravis succis: non quod sanguis actu ex quaternione humorum sit compositus, quorum degeneratione oriantur præternaturales & excrementitii isti humores; hoc enim erroneum; sed cùm talis crasis consistat in massæ sanguineæ textura materiali, dependente imprimis à particulis ejus ⊖inis, ob id hujus texturæ, imprimis particularum ⊖inarum, eius liquorem componentium, multiplex mutatio & alteratio; unde ex vitiata hac harmonia & proportione læsâ fermentatio sanguinis vitalis exinde vitiatur & depravatur, ut v.g. loco vini spirituosi degeneret vel in vappã vel in ✝, vel aliud quod dã vitiũ. Nam quales succi, talis sanguis, qualis sanguis talis nutritio; qualis circulus datur in Oeconomia animali; nec prius feliciter cessat hæc depravata fermẽtatio, nisi heterogeneis seu non unibilibus & vitiosis particulis separatis & præcipitatis, æqualis & ordinata sanguinis redeat fermentatio. Si ergò massa sanguinea, bilis, serum vel lympha deficiunt à debita crasi & fiunt vitiosa, oritur hujusmodi *Cacochylia*, quæ *est mater Cacochymiæ, cujus filia Cachexia.*

Inest sanè cuivis homini peculiaris, tàm in sanguine, quàm cæteris contentis, sua determinata crasis, seu mistionis particularum ejus liquorem componentium, imprimis salium, harmonia & proportio, ex generationis primordiis exsurgens, unde & consistentia, color, cæteræque ejus qualitates, tàm sensiles seu manifestæ, quàm non sensiles seu occultæ, in unoquoque individuo variant, omnibus licèt existentibus sanis. Quamdiu ergò talem harmoniam in suis principiis, ac debitam crasin retinent sanguis aliaque corporis fluida, tamdiu viget valetque corpus totum, simulatque verò deficit & degenerat, adeoque vitiata fuerit, *Cacochymia* exsurgit, seu contentorum fluidorum in substantia aut qualitatibus vitium, unde sparguntur morborum semina, pernitiosos fructus tandem germinatura.

Hanc Cacochymiam contentorum sequitur immediatè vitiatus motus intestinis seu fermentativus: adeòque productum morbosum, Cacochymiam, insequens sunt vitia læsarum fermentationum in humoribus, sicque *Morbi Contentorum in Quali peccantium erunt vel in vitiata crasi, vel in fermentatione vitiata*, sive hæc fermentatio consideretur absolutè, prout in ipso humore simpliciter consideratur, vel respectivè, prout eadem ex quorundam commixtione exsurgit, ut fermentatio chyli à bile & succo pancreatico.

Crasis naturalis seu seminalis *formaliter* in debita uniuscujusque humoris temperatura, *materialiter* in minutissimarum particularũ concinna mixtura & textura *consistit*; cujus texturæ nucleũ quasi constituunt *Acidum & Alcali* cum intertexto pingui, à quibus dependet crasis, ⊖in a volatilis oleosa. Hæc constituunt crasin naturalem, à qua temperamentum corporis vitale dependet, ita ut in iis, in quibus hæc duo ⊖ia æquali symetriâ coëunt, temperatum dent sanguinem & sunt sanguinei: Ubi verò Acidum prædominatur, vocatur Melancholia; Melancholici enim se habent instar vini acescentis.

Cacochymia quidem pro varietate hypothesium *diversimodè explicatur*: Aliter determinatur à Peripateticis & Galenicis, aliter à Paracelsistis, aliter à Modernis. Secundùm modernos *Cacochymia* in genere consistit in vitiosa crasi seu textura seminali contentorum præternaturaliter vitiata, consequenter respectivè istæ proprietates, quæ Qualitates dicuntur. Sicut enim in genere ex minimorum *syncrisi, diacrisi* & *metastasi* omnes corporis nostri partes materialiter immediatè coalescunt & etiam immutantur, vi effectivâ seminalis spiritus; ita etiam in specie contenta corporis secundùm minimorum istam texturam, ratione syncriseos, diacriseos, ac metastaseos, diversas mutationes subeunt, quæ à rebus vel naturalibus, vel nonnaturalibus, vel præternaturalibus, in specie digestionibus vitiatis, dependet. Jam verò, ut minima inter ista ingredientia, *Acidum & Urinosum* verè primatum ducunt; ita & eadem hîc loci attendenda sunt; uti verò ubique acidum informat alcali, illudque agentis, hoc patientis, rationem obtinet; ita in quibusvis ferè morbis, tàm generandis quàm corrigendis, ad acidum imprimis respiciendum venit. Naturaliter omnia in corpore sunt temperata seu salsa oleosa ex concinna & proportionata minimorum miscela, quâ læsâ intemperaturæ emergunt, indices vitiatæ crasios seu cacochymiæ contentorum.

Observanda verò imprimis *Acidi* in corpore nostro *plus minus morbosi differentia, dum est vel fixum* (simulque ferè terreis particulis plus minus saturatũ, adeoque

que *macrum*) *vel volatile* (particulis alcali ſubtili turgidis plus minus ſaturatum, adeoque *oleoſum*) v. g. acidum fixum peccat in malo hypochondriaco, volatile in Febre ardente acuta; in intermittente febre tertiana etiam peccat acidum fixum: nam in paroxyſmo hujus progreſſus eſt acidi à ſtatu fixitatis ad ſtatum volatilitatis; quod acidum è contra in febribus acutis ſimpliciter volatile eſt, unde febres intermittentes ac continuæ ſubinde permutabiles exiſtunt, ita ut continua degeneret in intermittentem, & tertiana intermittens è contrà in continuam. Differentiæ hujus ratio in Acidi ſtatu vel fixiori vel volatiliori conſiſtit. Pariter ac Triſtitia, Mæror, Curæ, &c. Acidum fixum in corpore noſtro intendunt & augent; Ita è contra, Gaudium, Lætitia, &c. Acidum volatile intendunt & acuunt. Uno nomine, quæ vulgò debile & bilioſis febribus hinc inde dicuntur, quod nempe alcali volatili oleoſo plus minus acri conſtent, hæc omnia exiſtimo, ſi ritè conſiderentur phænomena in Praxi occurrentia, pariter ac ſuo modo in Theoria accommodentur, intelligenda eſſe de Acido volatili, ſub olei tegmine ⊖e ſuo compari ſufficienter ſaturato: unde etiam, ſi Acidum iſtud volatile intendatur, bilis quoque nimia exſurgit acrimonia, eademque intenditur, & hinc morbi bilioſi fiunt, atque ex intemperatura bilis ratione excedentis Acidi volatilis omnia pathemata, tàm externa quàm interna, bili vulgò attributa, explicanda veniunt.

Craſis hac vitiata porrò *conſiderari poteſt, vel abſolutè*, prout in ſe ipſa eſt (qua ratione hactenus eam conſideravimus) *vel reſpective*, prout ad ſenſus noſtros ſe habet, per quos à poſteriori ex effectibus ſcilicet, & inductis alterationibus craſis vitiata ſeu Cacochymia humorum cognoſcenda venit, & ſub hoc reſpectu per ſapores, tanquam nobis notiores, multiplicem hanc Cacochymiam, ejuſque cauſas, graphicè nobis depingit Divinus ſenex *HIPPOCRATES l. de Natura Humana Textu* 31. item *in integro Scripto de Priſca ſeu Veteri Medicina*: Vid. *SENNERTUS de Conſenſu & Diſſenſu Chymicor. cum Ariſtot. pag.* 139. (licèt ſint, qui dubitent de genuitate hujus libri, quia dicunt, ut *Conringius, Acronem Agrigentinum* vel alium hunc compoſuiſſe: veriſſimus tamen Autor eſt *HIPPOCRATES*) dum inquit: *Non Calidum, non Frigidum, Humidum aut Siccum eſt, quod magnam agendi vim habet: Verùm Amarum, & Salſum, & Dulce, & Acidum, & Inſipidum, & Acerbum, & ſexcenta ſunt infinita alia, quæ præ copia & viribus varias facultates ac potentias. Et hæc quidem mixtione & mutuâ inter ſe contemperatione neque cernuntur, neque moleſtiâ hominem afficiunt. At ubi quippiam horum ſecretum fuerit, & per ſe exſtiterit, tunc & conſpicuum fit, & hominem moleſtiâ afficit.*

Quibus verbis *HIPPOCRATES* duo ſimul innuit, tàm *Cauſam morboſam*, earumque potentias, & agendi facultates, quàm inductas partibus corporis, præſertim fluidis, *Alterationes* cacochymicas. Nempe fermenta morboſa à priori imperſcrutabilia vix niſi ſaporum ſub notione cognoſci explicarique poſſunt: deinà fermentis morboſis inductæ humoribus alterationes cauſarum naturæ reſpondent, & commodè per ſapores & notiones explicantur. *HIPPOCRATES* ergò his verbis delineat *primariò* cauſarum morboſarum potentias, *ſecundariò* ab iisdem inductas humoribus alterationes præternaturales cacochymicas: Nam hæc ipſa infinita, ſub infinita ſpeciali cauſarum morboſarum differentia, ſe unicuique offerunt, dum in ſingulo morbo, morbique cauſa, ſpecialis peccat ſapor, qui non niſi per remedium, huic vitioſo ſapori in ſpecie adverſum, eumque corrigens, ob id *Specificum* dictum emendandus eſt.

Non ergò ex Qualitatibus Veterum primis definienda ſunt Humorum vitia (Calidum enim & Frigidum effectus potiùs & producta ſymptomata, non Cauſæ, ſunt:) cùm non adeò magnam habeant agendi vim, nec adeò eminentes ſint, ut ſimpliciter corpus noſtrum ita alterare poſſint; unde & *Rerollea à Paracelſo & Helmontio* ficto vocabulo vocantur, ceu tales, quæ non procedant ex fermentis & ſeminibus rerum, indeque omni efficaci operandi virtute deſtitutæ ſint. Siquidem & fundamentum talis doctrinæ, nempe inane de 4. Elementis figmentum, & hinc ipſis ſuperſtructa Miſtionis Temperamentorum, Qualitatum primarum, Morborum Intemperiei, & Humorum ex Qualitatibus primis deſcriptorum doctrina, ab *HELMONTIO Tract. Myſt. & Complex. Element. Figmentum*; ut & ab acutiſſimo *BOYLE in Chymiſta Sceptico* jam diu ſufficienter deſtructa eſt.

Quæ *HIPPOCRATIS* elegans doctrina non de morboſis humorum vitiis ſolummodò intelligenda, ſed de alimentis & medicamentis pariter, dum *l. c.* ſcribit: *Non calidum eſt, quod vim magnam habet; verùm Acerbum & Inſipidum, cateraque de quibus dixi, tùm in homine, tùm extra hominem; in iis, quæ eduntur aut bibuntur, vel foras illinuntur, vel quacunque formâ corpori admoventur.* Adeoque & Alimentorum & Medicamentorum vires ex iſtis dimetiendæ ſunt *Hippocraticis potentiis*, ut patet, ⊖inis, non ſecus ac ipſa ſimul legitima Diætetices & Therapeutices Methodus ab *HIPPOCRATE in iſtis Textibus* inſinuatur, dum ab aliis potentiis temperatis, hoc eſt, debitâ proportione & *ſυμμετρία* inter ſe agentibus, nos neque lædi, neque moleſtiâ affici, aſſerit; adeoque per rerum nonnaturalium uſum eò reſpiciendum eſſe, ut in ſtatu iſto proportionato conſerventur. Dum verò ab iis ſecretis & per ſe exiſtentibus nos lædi affirmat, hoc eſt, ab iis intemperatis, & unum alterum præponderantibus, quid aliud faciendum monſtrat? quàm ut potentiam iſtam, quæ excedit, corrigamus & imminuamus, vel quæ deficit, additione ſimilis augeamus, eaſque denuò conjungamus, & harmonicas ac proportionatas reddamus, hoc eſt, *morboſas has cauſas, & potentias non abuſivè phlebotomandas*, aut *nocivè purgandas; ſed contemperandas & concoquendas, adeoque per ſapores* vel *potentias ſpecificè oppoſitas eſſe corrigendas.* Conferatur Diſcurſus *BECCHERI in Phyſica Subterran. l.* 1. §. 5. *cap.* 1. *p.* 366. & *SENNERTUS de Conſenſu & Diſſenſu Chymicor. cum Galenic. & Ariſtot. pag.* 139.

Hippocraticarum harum potentiarum, ſeu ſaporum horum vitioſorum ſeu fermentorum morboſorum varietas, Cacochymiam conſtituens, uti omninò eſt innumerabilis, oriunda ex particularum minutiſſimarum, præſertim ⊖inarum, varia tùm inter ſe, tùm cum aliis concretis jam corpuſculis, combinatione, ſimili ratione ac unus idemque liquor nunc ✢, nunc ▽, nunc muſtum, &c. repræſentat per texturæ mutationem; ita etiam varietatem ingentem ſanguinis, chyli, lymphæ, aliorumque ſuccorum à ſtatu naturali degenerantium conſtituit, non tantùm ex multitudine individuorum multivariam, ſed eodem individuo pro diverſitate ſexus, ætatis, temporum, anni, vitæ generis, &c. admodum, & quaſi in horas mutabilem. *Quod namque aſſumptorum diverſi ſapores, tot diverſæ potentiæ ſeu ſalia, quæ ex varia cum ſuccis corporis noſtri*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0201-8 DFG

stri in primis viis, cum sanguine unione, non vulgarem denuò inducunt diversitatem, cò majorem, vel minorem, vel prout magis vel minus sunt alimentosa seu temperata, aut medicamentosa, seu sapore quodam excedentia, vel prout magis vel minus à fermento stomachi subiguntur & alterantur. In genere tamen sub suprema Urinosi & Acidi conceptu in Microcosmo, sicut in Macrocosmo, considerantur.

Et ex hoc fonte, nempe ex corruptelis & miscelis succorum, de quibus *capite sequenti de Morborum Causis*, non tantùm quorundam Individuorum certæ *Idiosyncrasiæ* ex parte promanant, dum ab hoc vel illo Assumpto lædunt vel juvantur, vel plus minus alterantur; sed etiam Causæ morborum speciales, & ut *HIPPOCRATES* dicit, infinita seu sexcenta, nec non specificæ virtutes simplicium, morbo huic vel illi appropriatorum, ex hoc fonte derivandæ sunt, dum in quovis morbo particulari specialis sapor, seu potentia Hippocratica, seu speciale concretum ⊖inum, seu singulare fermentum, vel alia peculiaris causa, peccet; hinc v. g. pro varietate causarum aliud est Acidum in Colica, aliud in podagra, aliud Acidum austerum in mulieribus hystericis, aliud Acidum rancidum in scorbuto, quod ostendit *WILLISIUS in Patholog. Cerebri*; aliud viscidum in hypochondriacis, aliud viscidum pituitosum in lue Venerea; aliud ⊖sum in scabie, aliud ⊖ in affectibus catarrhalibus ⊖sis, aliud in diarrhæa, aliud in febre ardente. Sexcentæ hæ specialissimæ differentiæ inferunt etiam distinctos morbos; unde speciales ejusmodi sapores postulant etiam specialia medicamenta, & remedia specifica appropriata & Euporista, ut vocantur, quæ per experientiam deprehensæ sunt, quod præ aliis remediis huic vel isti causæ morbosæ in specie debellandæ prosint, qualem effectum alia apparenter similia remedia æquè præstare non possunt, quæ specifica vis consistit in eo, quod habeant vim talem causæ morbosæ saporem excedentem delendi, absorbendi, vel mutandi, vel corrigendi, v. g. *Mars* specificum est & aptus ad delendum morborum chronicorum & hypochondriacorum Acidum, ineptus pro delendo Acido nephritico & podagrico; *Saturnus* seu plumbum in specie convenit ad delendum Acidum vulnerum ulcerumque, non autem stannum, minus econtrà confert ad Acidum Venereum; sic *Lapilli Cancrorum* Acido in vulneratis & contusis speciatim corrigendo aptisunt; & *Allium* in specie confert destruendo causam calculi, non autem convenit ad destruendam causam scorbuti & podagræ; *Fumaria* convenit affectibus sic dictis Melancholicis; *Acria amaricantia*, ut Carduus benedictus, Centaurium minus, absinthium, &c. speciatim conveniunt in curanda causa febrium intermittentium, minus autem conveniunt in affectibus hypochondriacis fugandis; *Chelidonium majus Icterum flavum* specificè curat; *China China* vel *Gentiana Quartanas*; *Viscum coryli epilepsiam*; *Mercurius luem Veneream speciatim* curat, quatenus ista simplicia saporem vel fermentum morbosum in tali affectu delent. Sic *Salia volatilia acria* vegetabilium, ut Cochlearia, Nasturtium, &c. specificè saporem scorbuticum tollunt, minus autem conveniunt in affectibus ulcerosis vel vulnerum; *Doronicum & stercus pavonis* præ aliis vertiginem delent; *Papaver rhœas*, & *Bellis minor saporem pleuriticum* tollunt; *priapus ceti* & *cervi* ad corrigendum Acidũ vitiosum in pleuritide & dysenteria conducunt, minus autem in Colica vel Cholera conveniunt; econtrà *Crystallus* montana in specie convenit in cholericis morbis & bile porracea, in quibus silices præparati aut alia concreta lapidea minus conducunt; *Sambuci flores vel succus* erysipelati, cujus juli & cortex purgant, qui *cortex* etiam ad ambusta specificus est; sicuti & *Cepa*, *scrophularia* & *chelidonium minus* specificè in hæmorrhoidibus dolentibus Acidum corrigunt; *Myrrha* in specie Acidum in mensibus retentis delet, & morbillorũ ac variolarum causam, ac alia balsamica, temperat; item *Sclarea* confert speciatim ad delendam causam passionis hystericæ, ad alios affectus minus usurpabilis est. Et hoc est, quod urget *Helmontus*, *quod specificus sapor simplicium magni æstimandus sit, cujus beneficio determinati sapores morbosi alterantur, corriguntur & præcipitantur, & sic causæ morbosæ pessundantur.* Observandi ergò sunt speciales sapores causarum morbosarum pro applicandis specificis remediis, qui tamen sub generali conceptu *Dulcis*, *Amari*, *Acidi* & *Viscidi* concipi possunt, ex quibus reliqui derivantur, qui in specialibus affectibus variant. Omnia enim hæc operari videntur, quatenus certam & singularem proportionem obtinent ad hoc vel istud materiale, ⊖ium alterationem & constitutionem, morbosum saporem, fermentum, &c. alterandum, & in ista textura specifica corrigendum: quibus correctis, h. e. temperatis factis, non ampliùs nocere possunt. Hæc tamen non confundenda sunt cum iis, quæ totâ substantiâ agere dicuntur, seu occultis Qualitatibus: Hæc enim ferè spiritum, Archæum vitalem, respiciunt, ejusque ideis conceptis occurrunt, ut secundùm earum ductum actiones pervertere desinat.

Hippocraticæ hæ potentiæ seu facultates (quarum in nobis quidem præsentiam omnia assumpta, pariter excreta, & omnes corporis com-

componentes partes, si in tribunali Chymico per torturam Vulcani examinentur, manifestò testantur: imò & sapor vel bilis, vel succi pancreatici, vel salivæ, vel lymphæ, valdoperè ex ⊖ium miscela varia varians, easdem abunde testatur) pro aliarum qualitatum ratione fundatæ sunt saltem in materiæ peccantis, secundùm minima, materiali textura varia, in qua constituenda, ut aliis in concretis, ita & his particulæ ⊖inæ, seu, ut generali nomine vocantur, Acidum & Urinosum, ceu maximè activæ primatum obtinent, ratione quarum non tantùm chyli & sanguinis intestinus fermentativus motus plus minus à naturali motu deviat, sed etiam quilibet corporis humores mutuâ sui, determinatis in locis, miscela in diversas & subinde anomalas fermentationes & effervescentias erumpunt, dum nempe ⊖ alcali seu Urinosum cum sale acido, ambo volatilia, blando motu concurrunt, temperatâ pinguedine quadâ sulphureâ, laxè ea invicem uniente; unde à motu istorum ⊖ium reliquæ quoque in sanguine existentes particulæ unâ cũ succo pancreatico, vel chylo nutritio ex abdomine recenter advecto, similiter agitantur, permiscentur & fermentantur, pro cujus fermentationis varietate ex rerum non-naturalium diverso insultu, adeoque in debito vel naturali Acidi & Urinosi volatilium saturationis, & à pingui temporationis puncto, *sanitatis omne momentum* consistere videatur, spiritibus ipsis diversimodè exinde affectis, & in varios furores ac exorbitantes agitationes, ob irritationem attactis & commotis.

Infinita ergò hæc Cacochymiæ differentia ad tria capita generalia non incommodè reduci valet, ad *Acidum, Amarum, & Dulce* seu Insipidum, habito respectu ad duo quasi *catholica principia* effectiva ⊖ina jam dicta, *Acidum & Urinosum*, eademque temperantè & diluentè in corpore chylũ, vel dulcè, vel quodammodo insipidum. Atq; ex his hactenus positis Fundamentis facilè emendanda venit, & accuratiùs paulò explicanda *Galenicorum de triplici Cacochymia, biliosa, pituitosa & melancholica, sententia*: quibus moderni rectè addunt serosam. Fundamentum hypotheseos Galenicæ fundatum est in Quaternione Elementorum: Uti enim ex 4. Elementis quadruplicem partium diversitatem, indeque totuplicem pro iis sustentandis nutrimenti differentiam, & exinde 4. humorum in massa sanguinea distinctionem, derivant; ita etiam ex his natos inde cœteros humores præternaturales, per multiplicem Caloris nativi gradum continuatâ serie, deducere conabuntur. Quia autem fundamenta ista bina, nempe Quaternio Elementorum, & humorum naturalium sanguinis, sunt ruinosa, etiam hic Quaternarius Cacochymiæ cadit. *Sanguis simplex saltem & homogeneus* est *liquor salinus volatilis oleosus*; *Nutrimentum verò partium saltem duplex: chylosum pro spermaticis, sanguineum pro sanguineis.*

Observetur autem cujuscunque hominis sanguinem variari, & peculiarem crasin habere, originaliter ex vario semine, consecutivè vario usu 6. rerum non-naturalium, ratione cujus Quaternio humorum nullo modo potest concedi, quod potest etiam per *fibras* in sanguine. *Illæ* enim in sanguine reperibiles pro pituita habitæ in sanguine non sunt primò, dum circulatur per vasa, sed fiunt in sanguine extravasato & cadaverisato. *Bilis* ita dicta in sanguine proprie non reperitur, potiùs *sal volatile oleosum*, analogon bilis, quod certo sensu vocatur Bilis. Bilis autem in folliculo felleo non est excrementum, sed potiùs saluberrimus balsamus corporis totius humani. *Humor melãcholicus* vulgari modo explicatus, seu naturalis, est non-Ens, uti nec præternaturalis, ac lienis officiũ circa eũ saltem ex arbitrio assumptũ, nisi in sensu *Hippocratico* explicetur, quo *per melancholiam, Acidum corrosivum, ponticũ, &c. intelligitur.* Hoc ipsum, ut ut peripateticus, eleganter agnovit *CONRINGIUS in eleganti scripto de generat. & motu sanguinis*, ubi diruit humorem melancholicum, & eum ceu nullum convincit. In *bilis atræ* descriptione variant autores: si dicerent, *corrosivum esse liquorem instar aquæ fortis*, concederem. Quæ verò in sanguine venæ sectione emisso apparet humorum discrepantia, nata est

1. Ex sanguinis extravasati necessaria corruptela & cadaveri satione.
2. Ex superficiei ejus ab ♎e ambiente plus minus inducta alteratione, unde superficies coccineo nitore splendet, fundus verò inferior coagulatus obscurè nigricat.

Genesis itaque horum succorum est varia. *Coctiones Veteribus per calorem factæ sunt nobis Fermentationes*; Calor enim nativus effectus vitalitatis est. Palmaria hujus hypotheseos ratio sunt varia excreta, quæ ex corpore excernuntur, ut viridia, nigra, rubra, &c.: sed omnes hæ excretorum, varietates non sunt causæ morbosæ, sed Alterationes succorum, ortæ ex aliis causis. Quo pertinet, quando pro tutela 4. humorum Purgantia producunt, e. g. quod Rhabarbarum, quia cholagogum, producat excreta flava, carthamus excreta mucilaginosa, martialia ritè operantia excreta nigerrima. Sed Respondeo, quod humores, quos Purgantia educunt, non habeant colorem nativum & proprium, sed vel ex medicamentis ipsis tributum, vel ex colliquatione per medicamentum purgans in ipsis enatum, ut sufficienter demonstrat *HELMONTIUS l. de Febribus cap. 5. & Tract. Scabies & Ulcera Scholarum, CNOEFFELIUS de Febribus Epidem. pag. 66. WALÆUS in Methodo Medendi pag. 25.* Purgantium enim malignitas succos evacuandos alterat, & novos colores ipsis varios imprimit, ita ut isti succi ante excretionem in corpore anteà non exstiterint, ut sub excretione apparent: hinc & fortiora purgantia in diversæ licèt constitutionis hominibus eadem stercora ratione coloris, aliarumque proprietatum, educunt. Melanagogorum nigredo est à ferro, quod assumptum & in corpore solutum Atramentum constituit, & necessariò feces tingit nigras. Nunquam in corpore succus niger reperitur, qui ita per alvum excerni potest, sed fit in intestinis ex miscela Acidi excessivi cum bile: Nam Acidum bilem præcipitat in colorem nigrum: vid. *GRAEFF de succo Pancreatico. Cacochymiam biliosam* subdividunt in *vitellinam, porraceam & viridem, aruginosam, obscurè viridem*, ex *viridi pallescentem.* Pituitosam etiam dividunt in 4. sortes, in pituitam acidam, ⊖sam, vitream seu viscidam & insipidam. Melancholiam dividunt in simpliciter sic dictam, & atrabilariam. Hæc videmus in omnibus Institutionibus, & nisi aliâ ratione explicentur, quamdiu superstructa sunt 4. Elementorum & humorum fundamento, & Calido innato, stare non possunt.

Consideranda ergò veniunt in corpore duo Primaria contenta fluida, sanguis & chylus, & in his particulæ istæ activæ, *Acidum & Alcali*, ceu duo instrumenta naturæ Mechanica, cum communi omnium vehiculo, sero seu latice aquoso, Insipidi nomine ab *HIPPOCRATE* insinuato.

to. Sic enim, uti ex sanguine *Plethora* derivatur, ita ex chylo *Pituita*, & ex chylo vitiato *Cacochymia pituitosa*; Ex Acido volatili oleoso, suo compari alcali volatili plus minus saturato, *Bilis*, ex hoc plus minus vitiato *Cacochymia biliosa*; Ex Acido fixo, seu terreis particulis plus minus sociato, *Melancholia*, & ex hoc vitiato *Cacochymia Melancholica*, explicanda venit. Sic enim Veterum experimentis, & quoad Rem facti veris Assertis, utut in explicandi modo erroneis, sua constabit veritas, & etiam Chymicorum, præsertim modernorum, cum Galenicis concinnior poterit institui conciliatio, & Practicæ demum Observationes & Experimenta utriusque sectæ probabilibus Rationibus, & firmiori Theoria illustrari: Siquidem *Humores Galenicorum* quibusdam non ineptè audiunt *Vehicula Chymicorum Principiorum*

Lubens *vestigiis* his *Hippocraticis* insisto, quia

1. Ex his speciales Morborum Causæ possunt deduci;
2. Quia hæc sententia facilè reliquis est conciliabilis.

Per Amarum enim, Galenicorum Bilem seu Acidum volatile oleosum; per Acidum Cacochymiam Melancholicam; per Iusipidum seu dulce Pituitam chylosam, intelligo. Cum *Helmontio* consentio, qui Acidum inculcat: consentio cum *schola Paracelsica*, quæ per tartarum intelligit Acidum vel Melancholiam, per ♃ Amarum seu Alcali, per Mercurium Gas sylvestre: consentio cum bile, succo pancreatico & lympha.

His loco fundamenti præsuppositis, pergo ad species. Nempe *Cacochymia biliosa Galenicorum*, seu *Amarum Hippocratis intemperatum*, seu Acidum volatile oleosum Alcali volatili plus minus saturatum secundùm nostram hypothesin (nunquam enim Alcali sine Acido in corpore reperitur) vitiat massam sanguineam & reliquos succos; reperitur copiosè in massa sanguinea, ex qua ubertim elicitur; dein manifestè in bile naturali in folliculo felleo, quæ natales habet ex massa sanguinea: Nam nucleus seu crasis bilis, ceu corporis balsami, consistit in ⊖e volatili oleoso insigniter amaro. Idem *Amarum peccabit vel in Quanto*, dum abundat & turget Acido & Alcali volatili oleoso, aut deficit; *vel in Quali*, quando vitiosum saporem & præternaturalem Amarorem acquirit, dum aut nimis acre aut minus acre, vel nimis oleosum existit, vel aliam singularem ac anomalam & anonymam habet Qualitatem. *Nimis acre* redditur particulis ⊖inis, præsertim Acidis volatilibus abundantibus, aut magis turgescentibus, oleosis volatilioribus junctis; hinc enim subtilior, adeoque etiam mobilior, redditur bilis, ad instar nempe oleorum destillatorum aromaticorum ex Vegetabilibus. *Minus acre* redditur ex particularum ⊖inarum volatilium defectu & oleositate minus volatili, sed quasi aquosiore abundante; unde inertior etiam & minus activa bilis generabitur ad instar oleorum expressorum, aut infusorum ex Vegetabilibus.

Cacochymia hæc amara, seu Acidum volatile oleosum, varia infert pathemata in massa sanguinea, eandem nimis agitat, fluidiorem reddit, & debitam consistentiam deperdit: unde Propter læsam cum Acido proportionem, vel in Quanto vel in Quali, fermentatio in sanguine nunc cessat, & summa virium prostratio oritur. In specie, quando massa sanguinea corrupta est, quamplurimos fovet morbos chronicos: Nam in talibus sustentantur vitiosa ⊖ia volatilia, præprimis ubi subest simul vitium hæmatoseos; unde decolorationes varias corporis, sub cachexiæ & icteri generali nomine notas, hydropem, leucophlegmatiam, icterum flavum & nigrum, lumbricos, &c. infert, sicut *HAUPTMANNUS in Dissertat. de Bile* egregium habet exemplum de Icterico, Colica laborante, ubi lumbrici simul in secto cadavere reperti fuerunt; in ictero enim peccat ⊖ volatile oleosum, quatenus est corruptum. Ratò icterus oritur ab obstructione folliculi fellei, potiùs à bile minus oleosa seu inerte. Nunc bilis, aut Acidum ejus volatile, augetur cum ebullitione & vitiosa sanguinis effervescentia, indeque insigni incalescentia, unde febres ardentes, acutæ & malignæ, plus minus continuæ, sudores colliquativi, virium nimiæ prostrationes, &c. Nunc vitiatur & depravatur, unde simul phlogoses vagæ, diarrhææ colliquativæ, choleræ, & subitanea symptomata oriuntur, ex quibus mille mala in scorbuticis & hypocondriacis obvia sunt. Certum est, quod dogmaticorum Principia sint Chymicorum vehiculum; quia, quid *Veteres de bile, Hippocrates per Amarum, & Nos per Acidum volatile, Alcali volatili saturatũ, explicamus.* Sobrie tamen simus in hoc puncto, quia Veteres plurimos affectus primariò ex bile derivarunt, qui tamen ei secundariò tantùm competunt, quatenus Acidum potentius cum bile effervescit, v. g. erysipelas, inflammationes, excreta viridia, &c.

Genuina hujus ⊖is proles est Bilis ista, quæ, ut jam dixi, ceu singularis thesaurus seu corporis balsamum in hepate secernitur, & partim mediatè in folliculo fellis asservatam, partim immediatè ad intestina amandatur, ut separet feces ab utili chymo, & tunc simul ♃e quodam singulari tingat pro futura *sanguinis* rubicunda ℞; constat enim *hæc ipsa* imprimis copioso ⊖e volatili acri, *oleo* (*in se* rubro instar sanguinis) temperato, & copiosâ ▽ diluto, quæ primaria liquoris hujus balsamici sunt Constitutiva. His ergò principiis vitiatis, non leves, tùm in intestinis tùm in sanguinea massa, accidunt mutationes.

Causæ Cacochymiæ amaræ, quæ vel augent, vel alterant hunc saporem, & inde productam bilem, sunt imprimis Aër calidus, subtilis, tenuis, ⊖ibus volatilibus sæpiùs impræg̃natus, item alimenta acria, aromatica, amara, pinguia, animalium partes nutritivæ, potus vini generosi, spirituosa, corporis exercitium crebrius, ira, amor, vigiliæ, ætas juvenilis vel virilis, tempus æstivum vel vernum, &c. Omnia enim hæc aut copiosiorem, aut acriorem, aut volatiliorem bilem amaram, & ⊖ volatile oleosum, in corpore reddunt & movent, simulque in corpore Acidum imminuunt, plus minus destruunt; sicuti, quæ contrario modo se habent, ⊖ urinosum sanguinis, & bilem corporis imminuere, hebetare, & plus minus inertem reddere solent. Hinc medicamenta, quæ corrigunt hoc Amarum, seu biliosam Cacochymiam, & quidem primum ejus Vitium, Acidi nempe volatilis oleosi exorbitantiam.

1. *Omnia* manifesta *Acida*, nunc volatilia nunc fixa ⊖is biliosi excessum, simul & acrimoniam volatilem, infringentia & præcipitantia, qualia manifestantur ex Regno vegetabili,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0204-5 DFG

bili, ut sunt ✠, succus citri, berberum, cydoniorum, &c. ex Regno minerali ∽ mineralium acidi, simplices & compositi, ∽ vitrioli, ⊖is, nitri, cremor & crystalli tartari, Hepaticum rubeum, &c. Interdum & Volatilia usurpanda, vel sola, vel Acidis mista, ut corrigant ejus depravationem, seu in statum naturalem reducant, imprimis si vel nimis oleosum vel alio modo vitiatum existat.

2. Quæ *figunt & temperant* Acidum volatile oleosum, e. g. in febribus ardentibus malignis: reliquis omnibus præfero *nitrum* probè depuratum, & omnia cum & ex nitro parata remedia, in specie *spiritum nitri per spiritum vini dulcificatum*, qui mirè convenit in Cacochymia biliosa duplici ex causa; *partim quod destruat acrimoniam salinam; partim quod figat ejus mobilitatem volatilem*, quo minus in effervescentias præternaturales erumpere possit.

3. *Sulphurea mineralia & metallica* cum nitro fixata, figentia volatilem orgasmum, & hebetando cum pinguedine sua, unà cum recondito occulto Acido, ejus acrimoniam volatilem, ut sunt ♁ commune, omnia remedia antimonialia fixa, v. g. Antimonium diaphoreticum, Bezoardicum minerale, item ♁a alia mineralia fixiora.

4. Denique *Opiata* non sunt negligenda, quæ obortas hinc nimias effervescentias & phlogoses, palliativè quidem, potenter domant & & restænant, simulque conjunctos sæpiùs feroces ∽, impetus facientes, compescunt.

Posterius verò ejus Vitium, defectum nempe vel inertiam salis volatilis oleosi corrigunt & restaurant omnia Acria plus minus oleosa, augendo acrimoniam ⊖inam, & volatilisando ☉o, ut ⊖ia volatilia oleosa, item omnia Aromata & Aromatica acriora & amara, Febrifuga & similia, ut Absinthium, centaurium minus, chelidonium majus, mentha, gentiana, zingiber, piper, ⊖ia volatilia animalium, qualia in ictero & febribus intermittentibus usitata, ut acrius reddant ⊖ volatile oleosum; qua ratione Absinthium hydropes, chelidonium majus icterum, &c. curare solent.

Acidum Hippocraticum, *Cacochymia Melancholica* Veterum Galenicorum, seu, ex nostra hypothesi, *Acidum fixum* in sanguine occultatum, in nostris succis satis manifestum est. Occultatur sub tegmine olei seu sulphuris; nunquam enim reperitur pinguedo in triplici Regno, quæ non habeat occultum Acidum. Hoc Acidum peccat interdum vel *in Quanto*, nimiâ copiâ, aut nimiâ Aciditate; vel in *Quali*, sapore peregrino, vel acore quodam alieno, v. g. Vitriolico, vel aluminoso austero, instar ▽ corrosivo, pontico, rancido, vel alio quodam sapore singulari, non semper à priori commodè explicabili, dum aliud Acidum peccat in scorbuto, quod non ineptè vino pendulo vel rancescenti comparat *WILLISIUS in Patholog. Cerebri*; aliud in Lue Venerea, aliud in dysenteria, &c. & à quo Acido plures morbi in nobis emergunt. Ab Acido enim in sanguine peccante fiunt coagulationes & congrumescentiæ, hinc erysipelas, pleuritides, Anginæ, febres acutæ, inflammatione partium internarum & externarum. Hoc excedente plus minus, Syncope, & Lipothymia pilepsia, Apoplexia, & suffocatie ex sanguinis stagnatione, oritur; fermentationes sanguinis, nunc immiautæ nunc depravatæ, unde morbi Chronici; Ab eodem lympham, quæ subacida naturaliter esse a nonnullis putatur, inquinante, dolores partium modo fixi, modo vagi, scorbutus, affectus catarrhales, contracturæ, concretiones calculosæ, affectus nephritici, aliique in nerveis partibus convellentes spasmi, item exulcerationes partium, coagulationes succorum in vasis capillaribus in scirrhos, qui ex effervescentia facilè abeunt in cancros exulceratos, in glandulis scrophulæ. Ab hujusmodi Acido & saliva acor volatilis alimenta incidit, & instar fermenti eadem ad fermentationem futuram in stomacho disponit; Acido tamen præternaturali inquinata, imprimis in scorbuto, erodit dentes, linguam, gingivas, &c. Ab eodem Acido corroduntur ossa in cariem; succi pancreatici naturalis acor præcipitationem efficit fæcum alvinarum, ex utili chymo, per blandam cum bile, chylum diluente, effervescentiam; qui ab Acido præternaturali in intestinis inquinatus tormina intestinorum varia, colicas passiones, pareses, suffocationes hypochondriacas viris, & mulieribus passiones hystericas, item excoriationes, dysenterias, tenesmos, obstructiones alvi periculosas coagulando feces, excrementa nigricantia, &c. causatur. Ab eodem in stomacho fames canina, pica, asitia, digestiones vitiosæ, in specie cruditas acida, & morbi Chronici, quorum fomes est ex vitioso stomachi Acido; hinc affectus hypochondriaci, &c. proficisci solent. Prout ergò peccant hi succi, læduntur etiam eorum functiones, fiuntque contumaces morborum Autores, & in genere omnia ea, quæ de Melancholia naturali, & hujus summo gradu, Atra bile, asseruerunt Veteres, mutatis mutandis hîc optimè applicari possunt, cùm *ipsa Melancholia* à Veteribus, speciatim ab *Hippocrate*, *Acidus succus appellari soleat*, & Galenici subinde Melancholiam comparent cum aceto: in specie cancer, scirrhi, Elephantiasis, quos Galenici ex succo Melancholico derivarunt, oriuntur ab Acido, & quod Paracelsistæ sub Tartari, sive sub forma fluida, sive coagulatus sit, nomine dicunt, hoc nobis sub Acidi nomine venit. *Omnia mala*, quæ *alias oriri ex Intemperie frigida dicuntur*, *oriuntur ex Acido*, sive Acidum excedat, sive sit nimis volatile. Ab Acido etiam Sinovia in acetabulo coagulatur, unde Malum Ischiadicum; si nimium augetur, oritur luxatio ossis coccygis, cujus repositio periculosa.

Causæ, quæ augent vel excitant hoc Acidum in universo corpore, & ex glandulis productos succos, sunt ♎ frigidus & hybernus, quem acido ⊖e esse impræegnatum, in specie nitroso, fissuræ labiorum, faciei, manuum aliarumque partium, persuadent; unde loca, quæ ⊖e nitroso abundant, tempore æstatis frigida sunt. Ipsa glacies oritur ab ejusmodi nitrosa materia, ut in æstate apparet, quando ☉ conglaciat ▽ m; hinc in hyeme glacies in fenestris strias nitriformes æmulatur Acidum quoque augent quæcunque assumpta copiosiora, vel manifestè vel etiam occultè acida, qualia *occultè Acida sunt mel*, *saccharum*, *carnes fumo exsiccatæ & muriâ conditæ*, ut & omnia Assumpta in stomacho cruditate acidâ affecto, aut ante digestionem absolutam è stomacho dilapsa, & ideò nimis adhuc acescentia, hinc acidus chylus in primis viis non temperatus à bile, nec separatus, nec in ⊖sum tertium mutatus; item exercitium, uti aliàs alcali volatile promovet; ita hôc deficiente Acidum prædominatur; quod etiam promovent pavor, mœ-

ror & curæ, ætas ingravescens, somnus, &c. *Adeoquè corrigunt in genere* Acidum hoc

1. *Omnia salia urinosa* seu Alcalia, quæ Acidi attactu effervescunt, Acidum absorbent & invertunt, & in ⊖sum transmutant, & sic activitate suâ spoliant, tam fixa, ut ♃salviæ, cardui benedicti, absinthii, centaurii minoris, stipitum fabarum, Arcanum duplicatum seu panacea Holsatica, quàm volatilia, præsertim ex regno animali, ∼ & ⊖ volatile cornu cervi, cranii hominis, ∼ ⊡e vel salis ammoniaci, sanguinis humani, cervi, &c.; & acria seu manifesta in antiscorbuticis, cochleariæ, nasturtii; item salia volatilia aromatica Vegetabilium, ut ∼ menthæ, &c., & temperata seu occulta in Vulnerariis, Acidum quoque absorbentia. Sed cùm hæc non rarò dent nimias effervescentias, unde tormina, rugitus, cordis palpitationes, vertigines, perturbationes mentis &c. in scorbuticis & hypochondriacis interdum eveniunt post talia; Conveniunt loco horum
2. *Omnia concreta* quasi *terrea & metallica fixiora*, Acidum absorbentia, aut potiùs in vertentia, ut ♂, crocus & ♅ Martis, & omnia Martialia, hæmatites, ♡ sigillata, item saturnina, saccharum saturni, ♁ diaphoreticum, &c. Saturnina Acidum temperant in Mania, affectibus uterinis, Melancholia hypochondriaca, & quidem magis quàm medicamenta Jovialia: sicut etiam partes animalium duræ, osseæ, item marina, Acidum peccans pariter corrigentia & concentrantia, ut Corallia, C. C. ustum, lapilli cancrorum, ebur, os sepiæ, ossa humana, margaritæ, conchæ, & omnia, quæ Acidum temperantia in se & dulcificant, quod apparet in oleo ♃is additis lapillis cancrorum.
3. *Oleosa & Pinguia*, quæ obtundunt & quasi inviscant Aculeos Acidi, sive sint expressa, sive, quod est meliùs, destillata, ut omnes ∼ Vegetabilium inflammabiles, S.V. ♁, destillatum cariophyllorum, Macis, &c.: quo & succinata, castorina & camphorata pertinent; item Vegetabilia oleosa seu mucilaginosa, quæ temperant et obtundunt Acidum, v. g. Emulsiones ex amygdalis dulcibus, pineis, pistaciis, seminibus carduibenedicti, 4 frigidorum majoribus, etc.

In hac Cacochymia ritè gubernanda etiam *vitetur usus positivè dulcium*, v.g. saccharatorum, mellitorum, etc. Hæc omnia, utut primâ fronte dulcia et Acidis quasi contraria videantur, in recessu tamen habent Acidum egregium, spiritum nempe insigniter acidum et corrosivum; quod per destillationem ex Retortâ vel perfermentationem facilè excitatur. Excipiuntur ab his Passulata.

Pituitosa, denique Cacochymia Galenicorum, seu immediata chyli errata, *Insipidum vel Dulce Hippocraticorum*, est chylus nutritivus, pro sanguineis & partium nutrimento continuò sanguini infusus; qui chylus, si vitiatur, mutat nomen, & ♀ mucilaginosus & Pituita nominari solet. Nam alimentum in ventriculo digestum, inquè ⊖sum volatile mutatum, atque in intestinis à scoriis inutilibus separatum, transcolatur & quasi filtratur per intestinorum poros in vasa mesenterii, adhærescente eorum parietibus crassiore ejus parte, quæ *Mucus, vel Pituita naturalis intestinorum* appellatur; quæ oblinuntur intestina & lubrica fiunt, & ut faciliùs contentorum fit motus, & simul quoque defendantur ab acrimonia vel bilis vel succi pancreatici; qui humores, in specie bilis, ne increscat illius copia, eam quoque sensim solvunt, & quasi abradunt, & vel cum fecibus foras educunt, vel sanguini quoque infundunt.

Cæterùm chylus sanguini permistus non adeò celeriter ipsi assimilatur, quin potiùs post repetitos sæpiùs ejus circuitus in uno citiùs, in altero tardiùs, sanguificetur. Hinc est, quod sæpiùs per venæ sectionem emisso sanguini serum albicans vel lacteum supernatare observatum fuerit à *RHODIO Centur. I. Observat. 36. BORELLO Centur. I. Observat. 25. & GRAEFF in Tract. de Partibus Genital.*; & quod ferè semper secum limpidum licèt appareat, levi tamen igne in Gelatinam quandam lacteam coagulari, vel hæc etiam ex eo præcipitari queat, quam nutrimentum esse partium spermaticarum asserit *BARBATUS de serosanguinis*: hinc etiam *CNOEFFELIUS de Febribus Malignis pag. 55.* tradit, quod fibræ sanguinis videantur esse partes imperfectæ chyli, quia, si in ▽ calida aliquandiu agitentur, albicent. Hæc ipsa ergò chyli pars nondum assimilata temperat ⊖ium sanguinis acrimoniam, & fermentationis æquabilitati conservandæ multum conducit.

Chylus hic crassus & indigestus, aut alio modo *vitiatus, facit Cacochymiam pituitosam* aut chylosam, vel *in Quanto*, vel *in Quali*. In Quanto, si copiosiùs quàm par est, coacervetur; aliàs rariùs peccat, modò naturaliter se habeat. In Quali peccat, vel nimiâ viscoditate, &, quod frequentiùs, nimiâ aciditate conjuncta, rariùs nimiâ ⊖sedine. Consistit tàm in massa sanguinea, ubi est plerumque subjectum quamplurimorum morborum Chronicorum, febrilium, cachecticorum, viscerum infarctuum ac tumorum, & ductuum obstructionum; quàm in primis viis, in specie in fermenti stomachalis vitio, vel debilitati, vel acidi nimis fixi, non ritè alimenta digerentis, unde in liquamen vel pastam plus minus viscidam, crassam ac tenacem, sæpè ex debitæ volatilisationis defectu acidam, abeunt; & sic non tantummodò cumulatur exinde præternaturalis crusta intestinorum & stomachi pituitosa, sed etiam id, quod sanguini infunditur, ineptum est, ut fermentetur, & ipsi debitè assimiletur, aut partes solidas nutriat, unde obruuntur quasi principia massæ sanguineæ activa, hæcquè crassescit, spissescit, & diminutè fermentatur, tardeque circulatur, quin & viscidior iste chylus in intestinis figitur. Et dum in poris partium circa vasa capillaria subsistit, partim horum motum inhibet, partim verò viscera instar spongiarum impregnat, & proprio Acido coagulatus in tumores, & consequenter scirrhos abit, quæ mala eò sunt pejora, quo acidior magis simul massa ista chylosa existit; unde contumaces & chronici quamplurim, in specie Cachexiæ, Leucophlegmatia, & similes oriuntur affectus. Idem chylus viscidus in intestinis Tormina colica, Dolores hypochondriacos; & obstruendo vasa lactea, ac ductum cholodochum, vel pancreaticum, fluxus alvi cœliacos, si regurgitare cogitur bilis, infert; in mesenterii glandulis oriuntur scrophulæ, hinc Tabes Anglica, de quibus videatur Riolanus; ab Obstructionibus renum & vesicæ Ischuriæ. In genere, *Quicquid Veteres de Pituita* præternaturali *excrementitia*, & *inde derivata Cacochymia pituitosa* dixerunt,

nos

nos continuè per *hanc Cacochymiam dulcem derivare possumus.*

Causæ, quæ ad hanc labem disponunt, sunt

1. Stomachi fermentum debilitatum, vel nimis acidum fixum, non ritè incidens nec fermentans alimenta.
2. Cibi similes, vel copiosiores ingesti, imprimis crassi, viscidi, glutinosi, duri, uti sunt in specie omnes pisces, exceptis fortè lucio & fundulo, pedes & cerebrum animalium, carnes fumo induratæ, panis non rectè fermentatus, schliffig Brodt / aliique cibi non facilè digestibiles, item copiosiùs & inordinatè ingesti: quo Pinguia faciunt, chylum nimis glutinosum reddentia.
3. Deficiens bilis in folliculo felleo, aut hujus acrimonia debita, minus incidens, & minus segregans mucum in primis viis.
4. Quies, & somnus nimius, exercitii defectus, vitaque sedentaria, cura, mœror, &c.

Corrigunt etiam facilè Pituitam hanc, præter Evacuantia, vel per os vel per alvum, omnia ea, quæ ⊖ia vitiata in naturalem statum reducunt, & crudas & heterogeneas particulas separare faciunt, ut

1. *Attenuantia, Incidentia, Resolventia* & *Liquefacientia*, ⊖ina temperata, qualia sunt remedia tartarea, ex tartaro vini parata, Tinctura Vitrioli Martis Zwelfferi cum ♈ foliata tartari, cremor tartari, ♃ vitriolatus, ♁, & ♁ vitriolatum, ⊖✳, ⊖ia alcalia fixa & volatilia ex animalibus acriora, ⊖♃, ∼ ⊡æ, ∼ C.C, sanguinis humani & cervi, ℞ tartari, ∼ tartari, ⊖ volatile tartari, succini, item spiritus carminativus de tribus, ⊖✳ci, & similia, quæ resolvunt Obstructiones à viscido, unde conveniunt ad Chronicos morbos, tumores & scirrhos. Bartholetto ∼ nitri dulcis commendatur.
2. *Resolventia gummosa* insigniter *Amaricantia*, aceto soluta, ut sagapenum, mastix, myrrha, asa fœtida & dulcis, terebinthina, &c. in specie gummi Ammoniacum, quod potenter resolvit & attenuat humores pituitosos viscidos, & basin pilularum anticachecticarum Riverii, Hartmanni, & Qvercetani construit; hinc Sublimat. Gummi Ammoniaci cum Viridi æris destillatus, seu spiritus asthmaticus, optimè Viscida & Mucilaginosa resolvit & liquefacit, in specie si spiritu anisi, vel aqua asthmatica, & similibus temperetur: Doctor Michaëlis & Langelott addiderunt ♁. difficilis est præparatu; quia facilè rumpuntur vasa in destillatione. Huc
3. Faciunt medicamenta *Aromatica*, seu *salina volatilia* plus minus *oleosa*, vulgò Incidentia, Aperientia, Resolventia, itē Hepatica dicta, & quæ ut plurimū sale volatili subtili & penetrāti sunt imprægnata, v.g. fæniculum, Angelica, Absinthium, centaurium minus, epithymus, carduus benedictus, mentha, salvia, Ros marinus, & reliquæ nervinæ dictæ plantæ, cinnamomum, Zedoaria, galanga, piper, radix eryngii, petroselini, polypodii, rusci, levistici, gentianæ, graminis, quod Rustici observant, & bobus in ductu cholodocho obstructo cum fructu porrigunt; Antiscorbutica, ut radix raphani Vulcani, cochlearia, nasturtium, beccabunga, persicaria, semen sinapi & crucæ, quæ contra Apoplexiam senum prosunt; balsamica, ut crocus, alōe, quæ stomachi Anima dicitur, pilulæ de Alōe cum gran. ij. vel iij. trochiscorum alhandal, quia incidunt: unde *Helmontius* colocynthidem in lue Venerea, ubi Acidum viscidum & crassum, multis medicamentis præfert. Passulæ etiam minores & majores in morbis Chronicis conducunt, uti & Vina passulata pro potu ordinario, quæ fiunt per fermentationem adjecta ▽. Cavendum ab Asparago, quia fœtidam reddit ⊡m, & ob visciditatem putrescere facit: imò *Helmontio* teste calculum excitat.
4. Motus temperatus multum valet, & exercitium, uti & ira, gaudium &c.

Addunt his Modernorum quidam etiam *Cacochymiam serosam*. Nempe commune excrementi & alimenti vehiculum est latex aquosus, mediante quo omnia alimenta, sanguis pariter ac chylus, in vasis sanguiferis distribuuntur, & mediante quo per ⊡m & sudorem aliamvè formam excernuntur excrementa, & sordes partium solidarum, absterguntur. Diluitur enim & fluxilis fit sanguis ab eius parte aquosa seu latice seroso, qui præter hoc officium, & sanguinis superflua Salia & hetergoneas partes imbibit, atque etiam ex omnibus partium culinis abluit & abstergit ibidem enatas sordes, adeoq; ⊡æ ac sudori materialiter substrata est, tumquè seri nomen vulgò recipit; sicuti lympha appellatur, quando cum spiritibus animalibus per nervos influentibus juncta, à glandulis imbibita, & succo acido volatili imprægnata, ac denuò separatur, & vel ex conglomeratis per peculiares ductus in singulares deponitur cavitates, ut in succo pancreatico, saliva, lachrymis, &c. apparet, vel ex conglobatis per vasa lymphatica massæ sanguineæ denuò circa venam axillarem sinistram infunditur.

Serum hoc seu *Latex aquosus peccat* vel *in Quanto*, sive deficiat sive nimis abundet, vel *in Quali*. Quando deficit, vitiatur cœterorum fluidorum consistentia, unde massa sanguinea nimis spissescit & crassescit, adeoque Coagulationi apta, Circulationi verò & Fermentationi inepta, redditur: unde copiosi sudores laticem exhaurientes non sunt boni. Hic enim non satis diluit partes ejus roscidas nutritivas, ratione quarum vocatur aliàs vehiculum nutrimenti; Illi econtra occasionem subministrant nutritioni læsæ, & Atrophiam procurant, uti in laboriosis sudantibus. Deficit autem latex aquosus vel propter, defectum Assumptorum liquidorum, vel propter eorum nimiam excretionem, specialiter per ⊡m & sudores. Quando verò nimis abundat, quod fit vel propter potum crudiorem & aquosiorem ingurgitatum defectum ⊡æ & sudoris, ut in vita sedentaria, & fermentatione stomachi læsa, massæ sanguineæ fermentatio impeditur, nimis tenuis & aquosa redditur, & cōsistentiam debitam perdit; hinc varii affectus indejoriuntur, imprimis autem pertinaces hæmorrhagiæ uteri & nariū, quæ à nimia serositate sanguinis sæpe oritur, & imperfecta fit Nutritio, quodamodo cachectica, & torpor in actionibus animalibus. *In Quali* latex peccat vitio vel sanguinis, vel ipsarū glandularū conglomeratarum, imprimis Aëris vitio irritatarum vel læsarū, seu cribrorum, quando vitioso sapore inquinatur, vel nimis viscida, vel glutinosa aut insipida, vel aliis modis depravata, existit: Naturaliter enim dulcem, insipidum, & Moderatè ⊖ sum obtinet saporem, simulque limpidam et perspicuam habet consistentiam: Sin ergò nimis acidus, aut ⊖ sus, aut viscidus

est, fit morbosus. Fit autem nimis acidus & ⊖ sus ex perverso usu 6. rerum nonnaturalium: imprimis maximum negotium consistit in digestione prima, quæ uti præses est omnium digestionum, ita etiam confert ad ⊖ sedinem seri. Si ergò lympha acrimoniâ vel salsâ, vel, quod pejus simulquè frequentiùs est, acidâ impregnetur, exinde quamplurimi affectus ⊡ rii, ut stranguria, dysuria, &c. oriuntur, disponit ad calculum; in ventriculo excitat nauseam & Appetitum prostratum; uno verbo: Veterum Intemperiem Ventriculi frigidam; in locis intercutaneis morbos intercutaneos, pruritum, scabiem, ulcera, pustulas, &c. hi copiosiùs ex glandulis cephalicis effundatur, & simul præternaturalis salsa vel acida, & inquinata sit lymphâ quarumcumque glandularum, Affectus catarrhales, febres lentæ; in naribus Ozæna & Coryza; in oculis lippitudo, Rubedo, & inflammationes; in larynge & pulmonibus Tussis; in capite cephalalgia; in musculis horrores & rigores subitanei, unde ægri de subitaneis mutationibus conqueruntur, dicendo: Es sey ihnen bald heiß / bald kalt; in artubus dolores catarrhales, & horum juncturis lassitudines, originem ducunt. Sæpiùs simul ex parte spissescit & coagulatur, variasque muci larvas mentitur, unde Cacochymia pituitosa oriri potest, de qua jam dixi. Nam omnes morbi, quos ex serosa colluvie oriri voluerunt *CAROLVS PISO*, cujus liber est elegans, & *SCHNEIDERVS*, optimè ex læsis glandulis, ibique vitiata lympha, sive acida sive salsa, deduci possunt; Quod enim Veteres vocarunt serum, & inde ortos Morbos serosos, ex Modernorum sententia lymphæ, ejusque vitiis, adscribitur. Quoad *serum viscidum*, fit ex chylo viscido, unde in ore & naribus oriuntur Catarrhi dicti crassi, Gustum & Olfactum impedientes, quatenus serum viscidum impedit, ne sensuum horum Objecta fibrillas nerveas attingere possint; in ventriculo vitiosæ alimentorum digestiones, unde Anorexia, lienteria; & orificio vasorum lacteorum obstruendo passio cœliaca; in pulmonibus Asthmata humida & Catarrhos suffocativos; in visceribus successivè oriuntur Tumores: dum enim serum per Renes colatur, relinquit mucum spissiorem, unde Tumores tales successivè nascuntur; in cerebro verò pro viscididatis diversitate Lethargus, Coma vigil & somnolentum, & tandem Apoplexia. *Serum in motu peccans*, sive quod in motu per glandulas vel sua vasa impeditur, fit vel in partibus subcutaneis stagnatio, unde Cachexias, Leucophlegmatias & Anasarcas, & in pedibus Tumores œdematosos; vel ruptis vasis, factâque ejus effusione Tumores aquosos, nempe Hydropes, infert, quem Veteres Epati attribuerunt. *SCHENCKIVS* autem, *RHODIVS*, *BARTHOLINVS*, & *TVLPIVS in Observat.* nullam labem in hepate, aut alia olim accusata parte receperunt, sed solis lymphaticis vasis ruptis. Si lympha effusa particulariter stagnat, oriuntur Hydropes particulares, v. g. in capite, pectore, scroto, abdomine, &c. fit Hydrocephalus, Hydrops pectoris, scroti, & Ascites.

Hæc Cacochymia serosa curatur, & quidem ubi est *defectus seri*, assumendo potulenta aquosa. *Abundantia* autem per Diuretica, Sudorifera, & Hydragoga communiter dicta, ut Elaterium, & hujus Essentia secundùm Morellum de Formulis Remediorum; quam etiam D. *MICHAELIS* maximè utilem expertus est: Item jalapium, gummi guttæ, &c. *Seri acrimonia salsa temperatur* Oleosis ♃eis, adjunctis opiatis, e. g. laudano opiato, vel pilulis de cynoglossa. *Acrimonia acida* in Catarrhis curatur per ⊖ia volatilia, lympham corrigentia, specialiter per ♃, benzoen, succinata, ut ⊖ volatile succini, liquorem cornu cervi succinatum, ☿ succini destillatum, sassafrata, juniperina; item spiritum sanguinis humani, cum essentia opii mistum. Conducunt etiam in Catarrhis partim Diaphoretica, partim Diuretica. *Seri Viscididtas* curatur Attenuantibus & Incidentibus penetrantibus volatilibus: sic etiam curantur Hydropes, ubi imprimis prosunt Diuretica.

Altera Classis Morborum secundaria quoad Contenta, ex Cacochymia ista natorum, *sunt Vitia Fermentationis læsæ*, præsertim in massa sanguinea, unde variæ Caloris, Frigoris, &c. vicissitudines ferè dependent. Considerari autem possunt Fermentationes humorum *vel absolutè*, quando v. g. ipse chylus, aut sanguis, &c. præternaturali motu intestino agitantur; *vel respectivè*, dum duo vel plures humores misti præternaturalem impetum fermentativum concipiunt, v. g. quando in intestinis chylus, bilis, & succus pancreaticus, vitiosè effervescunt, aut quando lympha sanguini infusa præternaturalem fermentationem cient, & sic porrò. Depravatâ autem sanguinis Fermentatione, uti non ritè assimilatur Chylus, ita magis magisque à naturali deficit crasi, & tandem omninò inepta fit pro sustinenda ulteriùs Animalis Vita: Omnes enim Transmutationes à Fermentatione in corpore fiunt. Ergò morbi sanguinis consistunt in vitiata ejus Fermentatione, ob læsa duo ⊖ia, Acidum & Urinosum seu Alcali, unde Febres, imprimis malignæ, Pleuritides, Cachexiæ, Icteri, Scorbutus, &c.

In specie *massa sanguinea variis modis læditur Crasis & Fermentatio, nunc cum quodam excessu*, & periculosa quadam effervescentia, ob ⊖ium acriorum concursum, cujus signum sunt pulsus magnus, celer, frequens, &c. cum insigni ut plurimum corporis incalescentia, unde quamplurimi & ferè acuti morbi oriuntur; *nunc cum quadam imminutione*, ob dictorum principiorum inertiam, dum cruditatibus recrementosis obruta, minus in se agere possunt, unde pulsus parvus, tardus, rarus, & utplurimum debitus corpori deficit Calor, omnesque actiones torpent, adestque respirandi difficultas, ut in Cachexiis, aliisque Chronicis morbis præ cœteris apparet; *nunc aboletur* omninò, unde virium omnimodæ prostrationes; *nunc aliis modis* eadem alteratur ac depravatur, quod diversimodè fieri potest, unde pulsuum insignes inæqualitates & multæ varietates dependent, ex vitiata proportione dictorum ⊖ium ad se invicem, in specie ex depravatione Acidi, instar Prothei variformis inquinantis sanguinem, corpusque ipsum, quoad alia Accidentia diversimodè afficientis, quod nunc calet, nunc friget, facies nunc rubet, nunc pallet, &c. ut tam in Acutis, quàm in Chronicis morbis, scorbuticis confirmatis ac hypochondriacis, est obvium.

Omnes hæ Fermentationis læsiones materialiter, & hinc occasionaliter ex vitiata crasi & proportione ac harmonia particularum minimarum dependent, imprimis salinarum (efficienter enim & formaliter à spiritu vitali, motus istius intestini primario Autore) sive à rebus non naturalibus, imprimis Assum-

assumptis, sive à vitio hæreditario sit, (quâ ratione senes generant imbecilles & morbosos fœtus) sive ab extrinsecus inspirato aliquo peregrino fermento, aut hausto aliunde contagio fermentativo eadem oriatur. Si enim particulæ ⊖inæ massæ sanguineæ ab aliis non ritè contemperentur, exinde Acriora reddita violentiùs inter se concurrunt, & quasi effervescunt, ut in febribus ardentibus benignis & malignis, catarrhalibus, pleuritide & similibus; sin verò minus eædem contemperentur, & quasi obruantur, nec debitè exaltatæ sunt, nec debitam acredinem obtinent, quod v. g fit à chylo crudo, nec ritè volatilisato ⊖ino, qui tunc utplurimum ferè acidulus esse solet, tunc etiam imminuitur Fermentatio, ut in morbis Chronicis, Cachexiis tàm virorum quàm mulierum, febre alba, Hungarica, hectica, &c. obvium est. Si ista ⊖ia à debita constitutione naturali declinent, ita ut alterum alteri nimis præpenderet, Fermentatio ferè in totum aboletur: Nam ab Acido coagulatur massa sanguinea, ab Urinoso verò eadem dissolvitur, ut Experimenta Infusoria probant. Si autem aliis modis, tùm inter se, tùm cum aliis particulis se commiscendo, depraventur, ut debitum saporem perdant, & quasi peregrino sapore infecta sint, depravatur inde Fermentatio; & scorbutus, Malum hypochondriacum, dysenteria, Lues Venerea, Icterus, &c. in promptu sunt; item in febribus quibusdam continuis, malignis & pestilentialibus, ictero & similibus, in quibus Urinosum volatile depravatur, vel denique alterum alteri nimis præponderat, unde Fermentatio ferè in totum aboletur; sive nunc Acidum præpolleat, unde sanguis coagulatur, sive Alcali volatile, unde idem planè dissolvitur. Consideranda hîc simul viscerum, imprimis ventriculi, fermenta vitiata (quasi alterata, quatenus ea vel materiam pro sanguine præparant, vel sanguinem diversimodè alterant) eorumque producta fluida, v.g. bilis, aut lympha pancreatica, corrupta, quæ hujusmodi dispositiones in sanguine aut inchoant, aut inchoatas fovent. De sanguinis Fermentatione vid. *WILLISIVS de Febribus*, qui tamen aliquantisper confusus, item *KERGERVS de Fermentat. Sect.3.cap.3. pag.238. & seq. SYLVIVS & in Dissertationibus*, & in specie *in sua praxi*, quam ferè totam super ⊖ium concursum, & varias vitiatas effervescentias fundat.

Crasis & Fermentatio hæc sanguinis, cùm dependeat primariò à ⊖ibus, ob id etiam morbi, ex horum læsione dependentes, per remedia virtute ⊖inâ operantia curantur. Sic namque febres ardentes benignæ ex acriori nimis ⊖e volatili bilioso per Julebos blandè acidos curantur, qui Acidum volatile figunt & corrigunt; item per interposita fixa Antimonialia, ut ♁ diaphoreticum, Antihecticum Poterii, C.C. sine igne Bezoarticum Saturninum, & similia, quæ præcipitando nonnihil, & ad diaphoresin corpus disponendo, auctam effervescentiam corrigunt: Nitrum item præparatum, seu depuratum, & ☽ antimoniatum, quæ optima sunt remedia in febribus continuis ardentibus, quatenus Acidum volatile bilis domant, coërcent ac figunt.

Febres continuæ lentæ catarrhales, ex lymphæ vitio oriundæ, si fuerit lympha acida, per succinum, ejusque ⊖ volatile, myrrham, Antihecticum Poterii & similia curantur, promovendo sudorem: si fuerit lympha nimis ⊖ sa, ea, quæ edulcorant, usurpanda, v.g. ex glycyrrhiza, ficubus, jujubis, hordeo, &c. item Emulsiones papaverinæ, ipsum etiam Opium, & cum eodem paratæ pilulæ de styrace.

Febres intermittentes, in quibus primariò læditur sanguinis crasis ab acido & viscido, vel alio modo vitiato, errore digestionis stomachi pronato, curantur, præmissis Vomitoriis aut, ubi opus fuerit, purgantibus, imprimis per Salia tàm fixa v. g. absinthii, centaurii minoris, cardui benedicti, &c. & his cognatas terrestres concretiones, ut lapillos cancrorum, conchas margaritiferas, & similia; quàm volatilia, ut spiritum ⊖ ✱ ci, & alia.

Morbi Chronici, v. g. scorbutus, Malum hypochondriacum, & similia, corriguntur per Vegetabilia Amara, acria & similia, quorum sapor singularis, à sale volatili oriundus, corrigit istam vitiatam sanguinis crasin, item tolluntur tales affectus per temperata, v.g. per usum lactis, per passulas & similia, quæ vitiatos sapores obtundunt, & ita morbos corrigunt.

Tertia Classis complectitur Morbos partium solidarum. Has non esse proprium morborum subjectum, suprà monitum; sed earum defectus esse impedimenta tantùm actionum, non verò morbosas læsiones. In his, prout ab iisdem læditur corporis constitutio sana, duo sunt consideranda.

1. *Materia earum*, ex qua immediatè coaluerunt partes solidæ, ejusque textura, mediante qua partes tales constituuntur, & hinc consequenter proprietates plures respectivæ (ad nostrorum nempe sensuum organa) quæ ex materiæ textura ortæ, à nobis aliàs Qualitates dicuntur, quarum complexio, sed sano sensu, Temperamentum vocatur.
2. Superinducta earundem certæ functioni aut usui destinata *Conformatio*, quoad fundamentum Mechanica, quoad Usum Organica, ratione cujus certum usum instrumentorum in machina nostra corporea obtinent, & præstare valent.

Quoad 1. Materiam earum, seu quod attinet Morbos, qui partibus his solidis ratione Materiæ ex Qua, & inde natæ texturæ, consideratis vulgò tribuuntur, dicuntur aliàs *Morbi Intemperiei elementalis*, & *Occultarum Qualitatum*, de quibus videantur *Autorum Institutiones. Intemperiei* quod *attinet Morbos*; à posteriori seu effectu sensiliori ita denominantur. Nam, uti sub partium prima generatione à spiritu insito particulæ materiales secundùm minima specifico modo contexuntur, ex qua diversi sensiles modi in mollitie, duritie, tenacitate, colore, consistentia, crassitie, &c. oriuntur, in quibus Temperamentum Elementale consistit: quibus à sanguine & spiritu, tàm influo quàm insito, Temperamentum Vitale dictum, seu certus Caloris vitalis gradus, superinducitur, quæ ipsæ per nutritionem, tanquam continuatum generationis Actum conservantur jugiter; ita quando per vitiatam postmodum nutritionem textura ista materialis partis plus minus vitiatur, etiam Qualitates istas sensiles plus minus mutari necesse est, & sic pars morbosa reddita cognoscitur, atque à posteriori Morbi Intemperiei dicuntur, qui potiùs *Morbi Materiæ partis, ex læsa ejus nutritione nati*, dicendi forent; & quidem primariò *Morbi Intemperiei Vitalis* attendendi sunt, cùm hâc vitiatâ necessariò etiam *Morbi Intemperiei Elementalis* adsint.

In

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0209-7 DFG

In scholis Intemperiei vulgò traditur, quod in Intemperie duplex sit Qualitas: Manifesta & Occulta. Manifestam subdividunt in Morbum simplicem, compositum, &c. Jactis autem fundamentis Physiologicis mihi incumbit explicare hos morbos, quos Intemperiei vocant. Quomodo vulgò extradantur, videbitis in *SENNERTO*, *MOEBIO*, &c. Præsupponunt Temperamentum partium dividi in Elementale & Vitale. Elementale ex 4. Elementorum in misto concursu, & ex horum Qualitatum quatuor primarum orta temperie omnium corporum & corporis partium, derivant; Vitale ex Calido innato & Humido primigenito: hinc si binæ Qualitates præponderent, Temperamentum compositum fieri. Jam hujusmodi Intemperies foveatur vel à materia, vel sine materia, e. g. quando caput nimis incalescit à ☉e, vocatur Intemperies sine materia. Sed cùm horum natura à priori iucognoscibilis sit, etiam Intemperies inde nata erit intricata. Notum enim est ex Physiologicis

1. Dogma de 4. Elementis, si non penitus falsum, valdè tamen esse dubium, & à nemine abhuc probatum; unde omnia superstructa corruunt.
2. Qualitates horum non esse Entia absoluta, sed esse modificationes materiæ, oriundus ex particulis minutissimis motis, &c. unde sic Temperamenta & morbi Intemperiei corruunt.

Fundamentum autem Vitalitatis sunt sanguis & spiritus: Ergò in his investiganda etiam erit Causa morborum Intemperiei vel occultarum qualitatum. Omnes partes solidæ constant ex particulis minutissimis mutuò contextis, inter quas principia ⊖ina prædominantur, & primariò constituunt partem, secundariò dictas Qualitates seu Temperamenta. Omnia autem, quæ Qualitatum nomine veniunt, immediatè adscribuntur Temperamentis; unde, si quacunque ex causa mutatur partium continentium textura, consequenter etiam mutantur proprietates in Calore & Frigore, & sic oritur morbus vulgò dictus Intemperiei *Elementalis*: ita ut morbi hi sint nil aliud, quàm morbi ex mutata & plus minus alterata particularum, ex quibus coaluerunt, textura, unde & novæ proprietates sensiles, v. g. mollities, durities, siccitas, humiditas, &c. inde oriuntur. V. g. reperta fuerunt ossam ollificata, ut flecti potuerint, quod vitium consistit in mutata textura ossium, ubi particulæ duræ mutatæ. Refert *FERNELIVS*, quod in lue Gallica ossa validà fiant frangibilia, ut levi ex causa confringantur instar ligni aridi: Ratio est mutatio texturæ particularum minutissimarum, ubi Acidum ita corrosit os, ut fiat friabile, & est ille morbus, qui vocatur Intemperiei frigidæ & siccæ. In iis, ubi reperti sunt pulmones atefacti & corrugati in corporibus demortuorum, dicuntur laborare Intemperie calidâ & siccâ, sed malè.

Quæritur autem, unde oriatur ejusmodi mutata textura in partibus continentibus, ut oriantur tales morbi? Respondetur facilè, modò consideremus partes solidas, prout generantur ex semine, & diu sustentantur per nutrimentum; unde vitiata Nutritio erit origo talium morborum, qui dicuntur Morbi Intemperiei Elementalis. Vitium investigandum est in nutrimento partis chyloso seu spermatico; prout enim diversè nutriuntur partes, diversa erit structura partis: Originaliter ∿ seminalis horum morborum fundamentum est, & vocatur morbus Intemperiei hæreditarius.

Dixi, istos morbos fieri ex vitiata nutritione: *Quæritur, quomodo?* Respondeo: Nutritio dupliciter vitiatur, vel *vitio Objecti*, scilicèt materiæ nutritivæ, tàm chylosæ seu spermaticæ, quàm sanguineæ, vel *vitio subjecti*, scilicèt ipsius partis nutriendæ. Vitio Objecti, si hæc inepta est, ut possit commodè assimilari partibus nutriendis: sic v. g. Scorbutici laborant Atrophia, & eorum partes solidæ dicuntur corruptæ vitio nutritionis; & fit, quando ex nutrimento deficiente partes arescunt: sic in Cachexia partium solidarum structura est mollis, humida, frigida, &c. cujus fundamentum est in sanguine crudo, qui perversè nutrit has partes. Nutritio vitiata ratione subjecti seu partis nutriendæ fit, quando in ipsa parte nutrienda inhæret vitium, spiritum insitum lædens, unde non æquè commodè assimilari potest succus nutrivus. Talia sunt sæpè fermenta exotica, aut quæcunque causæ externæ; quale fermentum sæpe est Acidum vitiosum, lædens aut debilitans spiritum insitum, & diversè corrumpens nutrimentum ad partem influens: e. g. qui semel in crure laborant erysipelate, semper ex levi causa iterum circa illum locum affectantur, & quò sæpiùs recurrit, disponitur ad Tumorem. Vulgò dicunt, esse Intemperiem habitualem vix corrigibilem.

Quæritur, qualis Morbus sit Intemperies habitualis? Respondeo: In erysipelate peccat Acidum peregrinum, unde corrumpens nutrimentum partis, pars talis humida impletur succo crudo ex mutata textura, & deficit nutritio. In Odontalgia sæpè recurrit affectus in parte sæpiùs affectâ, exin oritur dispositio talis, ut recurrat Odontalgia, ubi etiam peccat Acidum, corrumpens nutrimentum, oritur Caries. Hinc omnes Morbi Intemperiei explicantur, quod sint affectus, qui superveniunt ex mutata textura partium solidarum, quæ uti constituit Temperamentum Elementale, ita textura mutata constituit Morbos Intemperiei.

Pro dictorum Confirmatione præsupponendum ex *Physiologicis*:

1. Spiritum parentum genitalem in fœtu constituendo habere rationem Efficientis ad texturam partium solidarum, Per debitam materiæ Alterationem.
2. Eundem spiritum non esse Agens aliquod externum, sed internum, adeoque partibus à se constitutis intimè implantatum: id quod, præter affectus hæreditarios, in specie partium solidarum continuata Nutritio, & balsamica à corruptione præservatio, confirmant. Hæc enim duo, Nutritio scilicet, & tanquam continua generatio, & spirituum influxus, non à principio externo seu spiritu influo, sed reverà à spiritu insito, seu principio partis interno, dependent. Influens est per se indeterminatus ad os, cartilaginem, membranam, carnem, glandulam, &c. quæ omnia successivo influxu nutrit & conservat. Determinatur autem ab Insito, ut hanc vel istam partem in specie nutrire & conservare sufficiat, ita, ut ipse ∿ influus sub partium nutritione, quatenus cum parte confermentando sociatur, in Insitum abeat. Atque sic ∿ *insitus & influus non differunt essentialiter*, sed *saltem accidentaliter*, respectu varii status; ut qui nunc vitalis vel animalis influit, mox sub conformatione insitus dicatur; sicut etiã ∿ influus insitum conservat, & hic in operando ab influo dependeat.

3. Eo

3. Ex ipso, quo à spiritu sub Generatione & nutritione constituuntur partes materiales, is ipse ~ omnium proprietatum respectivarum vel qualitatum radix & fundamentum erit; cùm texturam earum afficiendo simul emanantium inde modificatarum proprietatum fundamentum & origo ut sit, necesse est.

Unde etiam à spiritu insito similiter proximum Caloris, Frigoris, Humidi, Sicci &c. in parte, fundamentum erit deducendum.

Deinde considerandum est ulteriùs:

1. Quamdiu hic ~ insitus in debito vigore vitali per influxum conservatur, etiam ipsa pars solida continuò vegetabitur, & debitas proprietates seu dictam temperationem obtinebit: sicut læso hoc ipso spiritu ejus vegetationem, nutritionem & constitutionem, tàm essentialem quàm accidentalem seu qualitativam plus minus variari continget; ita ut à tali spiritu planè extincto Gangræna, ab eodem depravato nutritionis nocumenta oriantur; unde consequenter dicti Morbi Intemperiei originem ducere videntur.
2. Intemperies partium solidarum vel est Universalis, vel Particularis. Illa dependet à spiritu & sanguine influo, unde æqualiter omnes partes afficiuntur, uti patet v. g. in Intemperie universali, quam Febricitantes, Senes, Cachectici, Hectici, &c. patiuntur; cui contradistinguitur Particularis, quæ à spiritu insito plus minùs vitiato dependet, unde nutritio, hinc Temperatura partis læsa, v. g. dum corpore reliquo sano pars quædam erysipelate corripitur, caput intensiùs æstuat, alia pars languidior & frigidior apparet, &c.

Cùm verò nulla materia sit sine extensione seu quantitate, cujus varia secundùm triplicem dimensionem modificatio necessariam partis conformationem & figuram constituit, quæ *Organica* dicitur, quatenus ab hac figura seu materiæ conformatione habet, ut instar instrumenti seu organi alteri usui certo inservire possit, ex læsione conformationis talis plus minus, secunda Classis Morborum partium solidarum, nempe *Morbi Organici seu Conformationis*, de quibus infra, oriuntur. Removeo vitia naturæ, non tamen effectus morbosos, sed quæ ipsa natura promovet: e.g. quando quis tres testiculos habet, 6. digitos in manibus, &c. qui non sunt effectus morbosi, sed potiùs luxuria naturæ, quia actiones illas potiùs adjuvant, quàm destruunt.

In specie quoad læsionem partium Organicarum (cùm Conformatio nihil sit aliud, quàm modificatio Quantitatis certa in quadam parte) ex hac duo Morbi Conformationis oriuntur, vel *respectu* ipsarum *partium*, vel *respectu in relatione unius ad alterum*, & dicuntur *Morbi Compositionis*, seu, *potiùs Connexionis*, dicti. Hi sunt duplices, vel in Connexione, dum partes non ritè connectuntur, vel in situ, si pars non debitam habet situationem.

Quod attinet Morbos Compositionis, observandum, quod Conformatio consistat in determinata Quantitate: Ratione Quantitatis in partibus simplicibus oriuntur Morbi Magnitudinis, vel excessivè vel defectivè. In Conformatione, ratione modificatæ quantitatis, *pars Organica* triplici modo morbosa redditur, secundùm tres nempe dimensionum differentias: aut enim *vitiatur* partis conformatæ *longitudo* secundùm lineam aut rectam aut curvam, unde ratione lineæ rectæ pars vel longior, vel brevior, vel ratione lineæ curvæ pars vitiosè figurata, redditur: Aut *vitiatur latitudo*; unde pars vel crassior, vel tenuior: Aut *vitiatur profunditas*, quæ vel solida, vel plus minus porosa, vel profundè expleta; unde cavitatum & meatuum dicti morbi, ad quos imprimis Obstructiones pertinent. Partes quocunque modo conformatæ necessarium ad se invicem nexum seu unionem & cohæsionem etiam requirunt, unde etiam debitum ad se invicem situm ex connexione ista acquirunt. Quod si vitietur iste nexus, oriuntur morbi vitiatæ Connexionis. Quando verò cohæsio mutua, & consequenter debitus partium ad se invicem situs tollitur, dicuntur hi Morbi vel in vitiato situ, vel in vitiata unione, qui ipsi aliàs *Morbi solutæ Unitatis* audiunt, & operationes machinæ corporeæ non leviter lædunt, sive sint Vulnera, sive Ulcera, sive Luxationes, sive Fractura, &c. ut *ita tres sint Morborum partium solidarum differentia, nempe Morbi Intemperiei, Morbi Conformationis, & Morbi Compositionis.* Sed de his vid. *Institutiones Autorum.*

Intemperiei Vitalis Morbos quod attinet, Temperiem Vitalem primariò, elementalem secundariò, læsam consideramus, cùm elementalis temperatura sine vitali immutari aut vitiari nequeat, quia textura partium materialis, & inde nata Temperies Elementalis, à spiritu insito sub Generatione & Nutritione, illam constituente, & vi balsamicâ partem conservante, dependet; unde nec lædi illa, nisi læso prius plus minus spiritu influo, poterit, cujus læsi occasione Nutritio vitiatur; unde variæ Qualitates mutatæ in temperatura exsurgunt, sicut extincto illo spiritu partis Gangræna, & per putredinem omnimoda dissolutio præsto est. *Intemperiei ergo Vitalis* Morbi, sunt vel *Universales*, vel *Particulares.* Illi à sanguine & spiritu influo, in temperatura vitiatis, originem ducunt, & ad morbos humorum pertinent: Particulares verò à spiritus insiti vitio, hinc & partis nutritione vitiata, originem ducunt. Illius exemplum suggerunt imprimis febres; Hujus verò v. g. brachii debilitas, atrophia, frigus, & ad quasvis aëris mutationes sensilis alteratio, à vulnere olim graviori accepto.

Nucleus hujus Temperiei aut Intemperiei partium corporis materialiter in varia atque distincta crasi massæ sanguineæ seminali, ⊖ino sulphureâ & oleosâ, formaliter in continuo motu sanguinis fermentativo, & inde resultantibus proprietatibus variis, imprimis quoad caliditatem, frigiditatem, &c. consistit: & quidem quod à sanguine, & inde natis spiritibus dependeat Temperies vitalis, patet, præter *HARVÆUM, MARCUM MARCI* &c. manifestò ex mutationibus ætatum, infantis, viri, &c. Omnes enim hæ mutationes saltem contingunt ratione massæ sanguineæ, ejusque crasios mutatæ, e.g. sanguis prout plus vel minus calet, eatenus etiam calor corporis vitalis est vel intensior, vel remissior; denegato autem sanguinis & spirituum vitalium influxu cessat Calor, & oritur sphacelus, cui supervenit mors, seu omnimoda vitæ extinctio Plura de Temperamento Vitali, quid per hoc reverà intelligendum sit, *suprà P. 1. cap 2 pag. 35.* ex *MARCO MARCI* sufficienter explicavi.

Ostendunt hæc, quid *de Inæquali Viscerum Intemperie*, seu *Contrarietate* seu *Antipraxia* eorundem, habendum sit, dũ nempe *Intemperies stomachi*

frigida, & epatis calida, in scholis quamplurimorum morborum Chronicorum focus & origo habetur. In specie Itali & Galli in superiori ævo in morbis chronicis habent duplex fundamentum, sed ruinosum; vel enim incusant Antipraxiam viscerum, vel obstructionem venarum mesaraicarum, lienis, hepatis,&c. Dicunt, Antipraxiam consistere in viscerum inæquali Intemperie, quod stomachus nimis frigidus, vel hepar nimis calidum sit, ex qua contrarietate oriantur Morbi Chronici, diversis symptomatis stipati, unde affectus podagricos derivant, Ructuum & flatuum generationes, & passionem hypochondriacam. Modum generationis quod attinet, dicunt, stomachum propter intensum frigus non digerere rectè, hinc chylum crudum hepati transmittere; hepar autem nimis fervens dictum chylum sanguini non rectè assimilare, unde sanguis nimis coctus, & hinc isti morbi chronici, evadant. Probant ex eo, quod talia subjecta conquerantur de stomacho frigido, & confirmant, quod post pastum percipiant Ructus, dejectam Appetentiam &c; de hepate clarum esse, quod ejus fervor sit igneus; quod ægri magnâ siti affligãtur; quod ab assumptis alimentis calidis, spirituosis,&c. lædantur. Verùm, ratione *Universalis Intemperiei, est talis inæqualis Intemperies*, seu *Antipraxia Viscerum*, reverà *non-ens*, & asylum ignorantiæ, quia calor stomachi chylificans hodiè non ampliùs admittitur, & hepatis sanguificatio etiam jam dudum explosa est. Si rectè examinamus istos affectus, qui dicuntur oriri ex tali Antipraxia viscerum, hepar in iis est insons, cùm Viscerum Temperies æqualis omninò dependet à sanguine, & spiritu vitali influo, qui æqualiter per sua vasa justitiâ distributivâ vel proportione Geometricâ in partes effusus & debitè circulatus, proportionatè calefacit partes, & ipsis debitam largitur temperiem, ac non minus hoc quàm illud membrum calefaciet. Unde prout mutatur idem præternaturaliter in morbis, etiam Temperies totius variat, eodem ex aucta effervescentia impensiùs æstuante in Causo, & totum corpus, omniaque viscera simul, intensiùs ardent; eodem verò tepescente in senibus & cachexiis, ex imminuta fermentatione, totum corpus similiter tepet & frigidum apparet; unde & pisces ad tactũ frigent, dum sanguis eorum & cor actu in iis viventibus frigent, non minus quàm in ranis: Ut taceam ipsum etiam calorem non esse principium primariũ effectivum actionum, sed tantùm dispositivè concurrere, cùm fermenta & fermentationes digestionum & transmutationum sint Autores.

Ratione verò *particularis Intemperiei* equidem pars quædam intensiùs calet & æstuat; econtrà alia magis tepet & debilior est alterâ, propter spiritum insitum, quatenus Calor in sanguine & spiritu influo undique distributus in parte ista haud æquè recipitur, cujus ratione consequenter pars solida minus calida est; unde etiam functionum defectus, subinde etiam earundem aberrationes, contingunt: vid. *Med. Hippocrat. Chymica cap.1.§.9. pag. 16.seq.* *Robur partium inæquale* vocat *HELMONTIUS*, quando v.g. vel in partibus binariis, e.g. pedibus & manibus, ex spina digito infixa, erysipelate mammæ, &c. pars una præ alia parte compari intensiùs æstuare observatur, ex citatiori ∽ insiti & influi motu, ratione doloris & læsionis concitato; ex opposito verò pars altera deprehenditur debilis, fit, ut ex ∽ insiti defectu fibræ ejus minus firmæ, sed tenuiores & fractæ fiant, unde non saltem ab Objecto simplici externo facilè irritantur, sed etiam minus injuriis externis resistere possunt; unde consequenter facillimè tempestatum mutationes in iisdem persentiunt ægri, quæ hoc in casu dicuntur Ephemerides ægrorum. Ponam e.g. manum in carpo graviùs sauciatam & vulneratam, licèt hæc exactè consolidata sit, nihilominus tamen postmodum ad Atrophiam ferè deflectit, minus calida minusque firma & activa, sed potiùs magis flaccida, & debilior in resistendis injuriis externis, aut læsionibus internis, præ altera manu observatur: item sensibilis erit ad mutationes quasvis aëris, ob ∽ insiti defectum, aut contractam debilitatem. Adsunt hîc inæquales similium partium Intemperies, non tamen propriè dicta Contrarietas vel Atonia subest. In specie, quãdo de Robore partium inæquali loquitur *HELMONT.* non intelligendum est Robur mechanicũ & organicum, quod per Atoniam vitiatur, sed Robur vitale seu vegetativum, dum spiritu partis insito læso Vegetatio seu Nutritio, & in statu sano conservatio, partis plus minus imminuitur, unde respectu alterius partis nutrimentum minus promptè assimilatur, excrementa genita minus excluduntur, & pars etiam minus calere observatur, sed faciliùs per tempestatum mutationes alterari assolet.

Non enim est in sanguine, nec in spiritu influo, vitali seu Animali, cùm post vulnus ritè consolidatum commeatus & remeatus ∽ & sanguinis sit illibatus: igitur in ipsa parte vitium erit. Nempe sub consolidationis tempore interceptum fuit ∽ influi cum insito commercium, unde hic debilitatus minus postea restaurari potest; hinc enim symptomata ista, fibrarum mollities, Robur deficiens, facillima ab externis injuriis irritatio, &c. superveniunt, quod itidem in Praxi frequenter obvenit, ut partes ita affectæ characteres recipiant totâ vitâ durabiles, & secundùm tempestatum ac ☽æ mutationes plus minus molestas. Similis Intemperies observatur in membris paralyticis, luxatis, &c. quibus, etsi restitutis, nihilominus, si graviores fuerint læsiones, diu post infirma & perquam irritabilia ea existunt, propter spiritum influum plus minus interceptum, & ita nutrimento destitutum, successivè cum alimento roscido exhalantem, unde pars debilitata, & plus minus frigida existit.

Inæqualis autem ista putata Intemperies, stomachi nempè frigida, & hepatis calida, reverà nihil aliud est, quàm depravatio fermenti stomachici, quà istud nimis acidum, nec satis volatile, existit, sæpiùs cum muco, vel copiosa *materia viscida in stomacho & intestinis stabulante junctum.* Hinc alimenta non ritè digeruntur, & *omnia symptomata concomitantia ab Acido vitioso* per motum fermentativum oriuntur. Chylus enim ex vitio diætæ & depravata digestione prima seu chylosi, vitiosè acidus, sanguini infusus, ejusdem crasin naturalem pervertit fermentationem ejusdem depravat, corporis nutritionem inquinat, & reliquos corporis succos, tàm lympham, in specie pancreatis, quàm bilem, vitiosis qualitatibus & superioribus tingit, unde & consequens vitiosa secum alvinarum à chylo separatio, & chyli in primis viis ab istis succis vitiosis inquinatio contingit, ut inde postmodum tot ac tanta symptomata oriantur, adeoque vitiosa ista succorum constitutio, per ⊖ia definienda, hincque dependentia vitia morbosa, quæ à veteribus Antipraxiæ seu Contrarietati Viscerum, nempe stomacho frigido, & hepatis Intemperiei calidæ, & hinc deficienti sanguificationi, adscripta fuerunt, illa Moderni potiùs

potiùs per facultates ⊖inas, à ſtatu naturali degenerantes, indeque depravatas ſuccorum craſes explicant, & ſic *potiori jure ſtomachi Cruditati acidæ, & bilis vel defectui vel inertiæ, vel præternaturali Alterationi, adſcribenda* erunt. Tales namq; ægri cõqueruntur imprimis (1) de Ructibus acidis & flatibus, qui hypochondriacis frequentes ſunt ob cruditatem; habent enim ſtomachum debiliorem, faciem rubicundam, ubi laborat ſtomachus, hepar autem inſons eſt; Unde (2) laborant apepſiâ, ſeu digeſtionis defectu (3) Acida eos lædunt (4) quæ evomunt cum levamine, vel per artem, vel per naturam, ſunt acida, aquoſa & viſcida (5) tormina inteſtinorum à pituita acida, eorum parietibus agglutinata, cum flatibus conjuncta, his ſunt frequentia. (6) Medicamenta, quæ hæc mala curant, ſunt præter Vomitoria vel (α) quæ Acidum vitioſum primarum viarum, & alios ſapores vitioſos, abſorbent, ut Martialia, ſaturnina, Terrea, & Animalium partes oſſeæ, e.g. Lapilli cancrorum, ebur, &c., vel quæ idem corrigunt & immutant, ut Vegetabilia acria & amara, v. g. Abſinthium, cochlearia, centaurium minus, Rhabarbarum, & ſimilia, vulgò Febrifuga aut Aperientia appellata, nunc parando ex his nodulos Vino infundendos, nũc decocta, nunc Eſſentias, quę omnia virtute ⊖inâ, imprimis de Alcali volatili participante, bilé vel deficiẽtem augent, vel vitiatam craſin maſſæ ſanguineæ, & hinc bilis & reliquorum ſuccorum, corrigunt, ut ſtomachi tonus, & fermentum emendetur, & ita æger reſtituatur: quibus non incommodè adjungenda ⊖ia, tàm fixa quàm volatilia, ut ⊖ abſinthin, artemiſiæ, digeſtivum hypochondriacum, Arcanum duplicatum, ſpiritus ſalis ammoniaci, ∽ tartari volatilis, carminativus, &c. (β) quæ Viſcidum incidunt, ut gummata, Acida blanda, quæ mucum viſcidum ex cruditate acida relictum incidunt, attenuant & reſolvunt (γ) conveniunt Aromatica Acidum ſtomachi volatiliſantia, qualia ſunt ſuavia odorata, guſtu amaricantia, cinnamomum, galanga, piperata, mentha, fœniculum, ſalvia, Roſmarinus, &c. quæ vi aromaticâ volatilitatem obtinent. Nam licèt dicantur, talia vim habere calefaciendi ſtomachum, hoc tamen falſum eſt: nam operantur tantùm per ⊖ſum volatile & acre, quod nec calidum nec frigidum eſt in ſe, ſed tantùm per appropriationem in noſtris partibus ab iis exſuſcitatur: proprie ergò loquendo vitioſorum humorum craſes corrigunt, & vitioſos eorundem ſapores ⊖inos emendant. Nam ſanguis æqualiter circulatus per ſua vaſa & viſcera, omninò partibus debitam ſic dictam largitur Temperiem; diſtribuitur ergo tàm in ſtomachum, quàm hepar, & non impeditus eodem modo, proportionaliter tamen, calefaciet tàm ventriculum quàm hepar, unde viſcera hæc in proportionata conſiſtent Temperie. Stante enim ſanguinis circulo hæc Inæqualitas Viſcerum non poteſt conſiſtere.

Præter Intemperies dictas membra interdum etiam ſub texturæ ſuæ materialis mutatione corripiuntur *Intemperie*, uti vocant, *humidâ*, cujus fundamentum eſt ſimpliciter ∽ inſitus, quatenus.

1. Deficiens, nutrimentum partis diſpenſatum, ex vaſis ſanguineis, totum aſſimilare debitè nequit; unde pars infarcta potiùs & ſubtumida, quàm debitè nutrita, obſervatur. Si ∽ ſimul alteratur, & ſapore vitioſo fermentativo impregnatur, v.g. in ulceribus, vulneribus, &c. tunc læſiones partium copioſiſſimũ ichorem & ſaniem plorare ſolent, ſpiritu deficiente & alterato, nutrimentum non ritè aſſimilante, ſed potius quoque alterante & corrumpente.
2. Quando ∽ inſitus in ſuo vigore deficiens debitum fibrarum tonum debilem reddit, qui aliàs per continuam nutritionem conſervatur, ut partes enervatæ, nec debitè nutritæ, à ſpiritu animali influo ad debitam tenſionem ineptæ fiant; unde læſo earum tono facilè fluida corporis contenta in tali parte ſubſiſtere, & tumores nunc ſeroſos, nunc œdematoſos, ſed indolentes, inferre ſolent.

Dico, ex hac Atonia ſupervenire *Tumores indolentes*, qui non confundendi ſunt cum *ſimilibus* Tumoribus plus minus *dolentibus*, v. g. quando dentium aut articulorum doloribus Tumores ſeroſi aut œdematoſi dolentes ſuperveniunt. Indolentes enim non oriuntur ex ſtrictura fibrarum, & impedito influentis Fluidi refluxu, quod ſtagnans Tumorem facit; ſicut dolentes non ex relaxatione fibrarum, & facili Contentorum Receptione, ſed difficili expulſione, oriuntur.

Spectat huc iſtud Vitium Chirurgis decantatum, quando dicunt: **Der Menſch hat eine unheilſame Haut**; quod nihil aliud eſt, quàm juxta Veteres Intemperies humida. Nempe ſpiritus inſitus deficiens, aut plus minus alteratus, nutrimentum partis non aſſimilat, ſed plus minus corrumpendo pathemata illa inducit; ſive ſpiritus inſitus deficiat in munere vegetativo & nutritivo ex vitio proprio, ſive nutrimenti diſtributivi errore malè ſe habeat.

Supereſt *Intemperies* partium ſolidarum *ſicca*, quæ immediatè nutritionem deficientem ſequitur, & ∽ inſiti vel defectum, vel acrimoniam, indicat. Deficit ille ob v.g. ætatem ſenilem, dum partes naturaliter exſuccæ & rugoſæ fiunt. Quod ſi in vegeta ætate pars quædam incipiat areſcere, oritur hæc ordinariò ex deficiente aut corrupto ſpiritu inſito, unde paralyſes, læſiones partium inſigniores, &c. diſponunt tandem ad Atrophiam, & Intemperiem ſiccam. In talibus caſibus, quia ∽ inſiti cum influo commercium intercipitur, & ille radio influi deſtituitur, fatiſcit, & ſimul cum nutrimento tranſpirat, atque abſumitur, unde Intemperies ſicca particularis, dum pars arida & exſucca redditur. Quoad Acrimoniam, ea ad Intemperiem ſiccam diſponit, quod apparet in *biliosis & Cholericis dictis, in quibus propter ſpirituum acriorem conſtitutionem minor nutritio* obſervari ſolet. Notandum tamen, quod hæc ipſâ Intemperies rarò aut nunquam ſit particularis, ſed ferè ſemper Univerſalis, & quod ea non tàm ab inſiti, quàm ab influi, ∽ defectu ac vitio dependeat, ſive vitium illud fuerit nativum, ſive adventitium, ut poſt febres diuturnas male curatas, poſt exulcerationes partium, ut in Hecticis, &c. Nam in talibus etiam ſpiritus influi, & nutrimenti diſtributi, Vitium occurrit.

His ſimiles ſunt aliæ Intemperies, ex texturæ materialis læſione natæ, propter ∽ inſiti vel defectum, vel acrimoniam, quando pars mollior fit durior, aſpera, glabra, &c. quæ ad unum omnes ad Morbos Intemperiei dictos pertinent.

II. *Altera Morborum* partium ſolidarum Claſſis in vitiata earum *Conformatione Mechanica* conſiſtere ſuprà dixi, ratione cujus uſui corporis certo inſtrumentaliter inſerviunt. Ad hæc requiritur

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0213-5 DFG

1. Debita et naturalis Conformatio secundùm omnes tres dimensiones, longitudinem, latitudinem et profunditatem.
2. Debitus partis cum parte nexus, quo partes invicem sortiantur.

Unde duplex nascitur Morborum differentia, Conformationis scilicèt & Compositionis seu Connexionis.

Quoad Conformationis Organicæ læsiones seu Morbos, attendendum est ad duo, quæ aliàs sæpiùs confunduntur; nempe quoad defectus morbosos, distinguendum

1. Inter organi operativi partem, seu substantiam partium fundamentalem; &
2. Huic Conformationem certam mechanicam superinductam.

Substantia partium fundamentalis sunt fibræ, quibus tàm simplicibus, tàm certo modo formatis, fiunt partes continentes, quæ triplici modo læduntur secundùm trinam dimensionem in longitudine, latitudine, & profunditate. Inter harum autem partium affectus ratione substantiæ fundamentalis unus est maximè frequens, & non rarò periculosus, nempe *Atonia*, h. e. deficiens fibrarum tensio & robur, commune malum quibusvis partibus Organicis; de quo tamen apud Autores altum est silentium. Cùm enim omnes ferè partes, in specie nerveæ, constent fibrillis nerveis, earum substantiæ diversimodè intertextis, quarum tensione & Retentiones & propulsiones humorum fiant, quas Galenici aliàs Facultatibus, Attractrici, Retentrici & Expultrici adscribunt, & ipsæ partes certum robur & firmitudinem obtinent, quæ Tonus partium vulgò dicitur. *Tonus* enim *est Tensio*, in *quo consistit Robur partium Organicarum*: Ita si fibræ istæ à Tensione remittant, pars Atoniâ laborat, ejusque Robur perditum est, eaque pars flaccida & mollis, ad quamcunque motionem obeundam inepta existit, ut v. g. tono ventriculi, h.e. fibrarum ejus, laxato seu læsto ingesta cum sonitu, tanquàm in vacuam lagenam decidunt, eaque non rarò leviter aut nullo modo immutata non tantùm expelluntur per intestina, quàm sponte in eadem dilabuntur, inprimis si liquida sint, ut patet in Lienteria. Talis Atonia est partium urinariarum in Diabete, ubi Renes laborant, quando V. eodem colore, quo fuit bibitum, mox cum Urina redditur. In partibus musculosis & tendinosis speciali nomine Paralysis vocatur: Sic Tono musculorum brachii, seu fibrarum eorum, laxato, aut læso molle, pendulum, aut ad motum ineptum observatur brachium.

Atonia hæc diversas habere potest causas, præ cœteris etiam est triplex:

1. *Nimis violenta Partis* Organicæ *extensio*, *quâ fibræ nimis extensæ*, & quasi nonnihil laceratæ, *in naturalem tonum redire nequeunt*, unde pars flaccida & *laxa remaneat*, qualis Atonia fit in vesica, si v. g. ex nimia coacervatione & diuturniore ⊡æ Retentione interdum læditur ejus excretio, quia fibræ vesicæ nimis extensæ se contrahere nequeunt.
2. Dein *secunda Causa Atoniæ est spirituum Animalium deficiens influxus* & *expansio*, à quorum copia & expansione, seu vi elastica, spatiola febrillis interjecta aliàs repleta & expansa, in continua Tensione fibras conservant, eorum verò defectus facit, *ut fibræ nimis relaxentur*: Quando discinduntur per transversum, pars est flaccida, mollis, pendula, &c. id quod fit in vulneribus tendinum & fibrarum transversis.
3. Vel tandem *tertiò est nimia fibrillarum partium* organicarum à sero sanguinis seu superflua lympha catarrhali, aliovè tenui humore, *humectatio* seu *irroratio*, qua fibrillæ flaccidæ & laxæ fiunt, minusque contrahibiles & tensiles. Quod si talis lympha, quæ nimis humectando resolvit, præternaturaliter sit acida, motum auffert, & simul stuporem sensus & tactus infert frequentem in partibus musculosis.

Quoad *Morbos Conformationis Mechanicæ* secundùm trinam dimensionem, Longitudo & Latitudo peccat vel in excessu vel defectu: Profunditas autem est plus minus cava vel porosa. Hæc nunc angustatur, nunc præternaturalitar ampliatur. Angustatur, dum vel à contentis variis repletur, ut in Obstructionibus, vel à continente constringitur, ut in affectibus spasmodicis, de quibus suprà.

Inter Conformationis Organicæ læsiones præ cœteris frequentes admodum vulgò numerantur *Obstructiones* & *Oppilationes* morbosæ, tàm in schola Galenica quàm Chymico-Paracelsica: Illâ accusante pituitam crassam aut humorem Melancholicum; Hâc verò Tartarum diversimodè coagulatum: ex quo fundamento deducunt omnes Morbos Chronicos, quibus ipsis etiam postmodum per medicamenta Aperientia dicta mederi volunt. Sed si rectè rem pensitemus, tales fictitiæ Obstructiones Viscerum Abdominis, mesenterii, epatis, lienis, pancreatis, &c. & inde ortæ humorum in vasis stagnationes & putredines, non sunt adeò frequentes, & ut plurimum reverà nugæ, imò sæpissimè Ignorantiæ asyla. Nunquam enim morbi hi oriuntur ab Obstructionibus, sed si reperiuntur, subindè non sunt causæ talium morborum, ut vulgò æstimari solent, sed erant aut Productum morbosum aut Accidens, quod morbum quasi aggravat, occasionem tamen & fomitem morbo non suggerit. Nempe usus communis Practicorum ferè obtinuit, ut quosvis penè morbos Chronicos ex dictarum partium Obstructionibus, & inde quasvis febres, tàm continuas lentas, quàm intermittentes Chronicas, imò scorbutum, malum hypochondriacum, icterum & cachexias quasvis, atque tantùm non omnium morborum chronicorum exercitum, derivent, cùm à nemine unquam demonstratæ sint tales Obstructiones, nec explicatum, quomodo tales morbi exinde oriantur? Rationes verò Assertarum Obstructionum sunt

1. Quod observati sint Tumores Viscerum in morbis chronicis, Quartana, &c. quibus Obstructiones primam occasionem dederint.
2. Secunda Occasio fuit, quod in morbis Chronicis ordinariò gravissima symptomata in abdomine adsint, ut dolores vagi, appetitus dejectus, affectus Cholerici, &c.
3. Tertia Occasio fuit, quod Errores non potuerint detegi per Anatomiam; quoniam viscerum obstructiones nunquam fuerunt inquisitæ, & licèt in corporibus mortuorum inventæ, facilè tamen excusari potuerint.

Unde etiam non pauci Practici dubitant valdè, *an reverà dentur Viscerum*, imprimis mesenterii, *Obstructiones?* de quo vid. *HOEFERVS* in *Her-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0214-1 DFG

Hercule Medico pag. 139. item *HORSTIVS Parens, Observat. lib.* 4. *pag.* 239. *&* 240. utut Galenici sint; Aut si reperiantur nonnunquam, an eædem tamen adeò sint frequentes? In iis certè vasis & visceribus, quæ continuus humorum transitus alluit, v.g. venis & arteriis, vasis lymphaticis, item & lacteis, hepate & liene, &c. Obstructio talis fieri nequit sine liquoris contenti restagnatione & collectione, indeque partis tumore, vel laceratis vasis liquoris contenti extravasatione & excretione; quæ duo, *Tumor & Extravasatio*, Obstructiones veras necessariò insequuntur. Obstructis sic sanguifluis vasis, indeque sanguinis ad partes sanguineas impedito motu stagnat, & stagnando plus minus Tumor & Inflammatio partis accidit; impedito autem à tali Obstructione lymphæ motu in partibus solidis, dicti Tumores serosi seu aquosi, v.g. Tumor pedum; In parte verò cava Hydrops particularis, Hydrocephalus, Hydrocele, &c. sunt in promptu. Aut necesse erit, ut integer quidam Ramus ex materia, in & circa eum in scirrhosam duritiem sensim coagulata, totali transmissione humoris fiat ineptus, ita ut per vicinos ejus defectus tandem compleatur. Si adest obstructio in vasis excretoriis, necessario patet per mutationem in excretis; si obstructa est vesica, mox in ⊡æ excretione fit sensilis Alteratio. In Cachexia, Quartana, aliisque febribus, scorbuto, hypochondriaco malo, &c. in principio morbi nullo modo tales Tumores adsunt, sed superveniunt, & erunt Affectus morbosi, aut potiùs producta morbosa.

Interim tamen non negandæ simpliciter seu universaliter Obstructiones, & Intumescentiæ epatis & lienis; siquidem non rarò etiam deprehenduntur scirrhi in his visceribus; sed abusus tantùm rejiciendus: & iis falsò superstructis morbis, v.g. Quartanæ diuturnæ, &c. Aliud in vestigandum fundamentum, ratione cujus repertæ interdum Obstructiones & Tumores non tàm radix sunt talis morbi, quàm potius ejusdem Productum morbosum.

Si ergò Obstructiones jam adsint, erunt vel à *contento viscido glutinoso*, vel *Contento duro*. *Viscidum glutinosum* ordinario *Pituitæ* nomine venit, à qua plus minus condensata Obstructiones subinde oriri solent, v.g. quando meatus quidam particulares, ut ductus cholodochus non minus quàm pancreaticus ex Viscido glutinoso sæpiùs reperiuntur infarcti, æquè ac ureteres & tubuli renum itidem à simili muco subinde sunt oppleti, & lacteorum oscula, ubi hiant in intestina, obstructa, atque cœliacum dant morbum. Quo pertinet etiam sanguis grumosus, canales venosos aut arteriosos infarciens, & motum sanguinis impediens. *Durum Contentum* sunt calculi in cystide fellea, vel locis ⊡riis. Sic Mesenterii Obstructionum exempla recenset *HORSTIVS loco citato pag.* 240. & scirrhi per se enati, itidem scrophulæ, quæ eandem agnoscunt originem, cum scilicet in porulis viscerum aut partium circa capillaria vasa humores quidam crudi, viscidi, glutinosi seu pituitosi stagnant, hinc viscera sensim intumescunt, & instar spongiarum inflantur, qui viscidi humores successivè indurati, in specie ex accedente Acore vitioso, eos ut plurimum imprægnante & coagulante, Tumores tales duros & tactui renitentes constituunt, qui in sanguineis partibus *Scirrhi*, in spermaticis *Nodi & Tophi*, in glandulis verò peculiari nomine *Strumi* seu *Scrophulæ* appellantur.

Quid igitur de Morbis ex Obstructionibus vulgò derivatis habendum sit, malo verbis *LINDANI an Colleg. Privatiss. Manuscripto super Hartmanni Praxin p.* 166. §. 2. *&* 3. declarare, qui ita inquit: *Credite hoc mihi (faciet vos Praxis videre) illi morbi & vitia, quæ passim attribuuntur Obstructionibus mesenterii, hepatis, lienis, &c. sunt reverà effecta ventriculi imbecillis, & non benè habentis, laborantis cruditate vel corruptione, imprimis sæpiùs in hoc casu acida. Revocate hoc ad animum, qui Praxin aggredimini. Utinam hoc Medici discerent, ut, postquam tot Purgationibus nihil profecerunt, cogitarent, nõ esse Obstructiones Mesenterii. Dein, potestne aliquid magis insanũ esse, quàm velle tollere Obstructiones Purgantibus: quomodo enim intrare aut remeare possũt per vias obstructas? Præterea incadaveribus nunquã reperietis mesenterii Obstructiones, nisi simul scirrhũ, & corpus longitudine morbi emaciatum; ubi totus sanguis mirè corruptus scirrhum mesenterii & obstructionem generat, quid igitur Purgantia poterunt? Corrigite, Roborate ventriculum, & corrigetis omnem putatam Obstructionem, tolletis omne malum. Natura cautè satis providet, ne vasa meseraica possint obstrui: scilicèt accuratissimè filtrando chylum per fila bombycina, unde videmus chylum per venas lacteas instar limpidæ aqueæ & ≙ea materiæ transire, adeò ut potiùs ~ lacteus transeat, si ita loqui liceat, quàm aliquod corpus. At verò, quomodo ibi fieri poterit Obstructio, præsertim cùm pateat, minores ramos desinere in ampliores: Atqui Obstructio metuenda, ubi ex majori in minus vas defertur: Ergò tales Obstructiones, Affectiones Melancholicas, hypochondriacas, &c. curo, curato ventriculo.* Hactenus *LINDANVS.*

Rem sanè ita se habere, quotidiana confirmat experientia: Reverà primarium vitium morborum Chronicorum, qui ab obstructione mesenterii, lienis & epatis derivantur, hæret in stomacho, & ejus læsione digestiva, quâ læsâ nascitur vitium acidum, diversi tamen saporis (qui distinctus in quolibet morbo à priori nondum sufficienter explicabilis est) tandemque læditur massæ sanguineæ fermentatio. Quod si verò propter diuturnitatem morbi ex circulo causarum ipsum fermentum digestivum plus minus vitiatum fuerit, eò morbus sæpè pertinacior, & sic vitium ferè incurabile fit: ut plurimum tamen ab Acido fixo dependens, fovetur aut vitio bilis, aut simpliciter deficientis, aut saltem inertis, nec debitâ texturâ oleosâ præditæ, hoc est, in qua Acidum volatile parciùs cum ipso etiam Urinoso parciori saturatur quidem, sed oleoso copiosiori nimis obtunditur; Ab his enim bilis vitiis ferè semper sustentantur quasi & foventur Morbi Chronici. Omnia pathemata tunc obvia, quæ derivari possunt ex Acido plus vel minus viscido, in scholis Galenicis derivantur ex Pituita viscida, in scholis Paracelsi ex Tartaro resoluto plus minus mucilaginoso. Ex hoc Acido, idque vitiosô sapore admodum vario, in materia viscida & glutinosa radicato, oritur digestio in stomacho depravata, indequè cruditas acida, impeditur sanguinis fermentatio, unde in Cacheticis Pulsus est tardus, depravatur & alteratur succus pancreaticus in nimium acorem, sæpeque præternaturalem austeritatem. Hinc ex perversa chyli assimilatione cum sanguine, omnes isti morbi oriuntur; hinc dum peccat talis mucus acidus,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0215-7 DFG

viscidus, facilè in partibus stagnatio coacervatur, & in tumores duros ab Acido coagulante abire potest, cujus ratione suo modo difficiliùs curabiles dicti morbi existunt, nimisque pertinaces sunt. Quando autem continui hi morbi sunt, fermenti digestivi singulare adest vitium, à quo continuò fovetur morbus.

Probatur hoc ex Juvantibus & Nocentibus. Nocent (1) Acida, quæ possunt coacervare mucum vel visciditatem: Juvant, præmissis Vomitoriis, imprimis Martialia & Saturnina. Per se quidem, ratione terreæ substantiæ, *Mars, debellator morborũ Chronicorum*, semper & solùm adstringit; in his morbis autem, humorem acidum absorbendo, illum nunc dulcem nunc insipidum reddit, & optimè curat. (2) Juvant in tali affectu medicamenta omnia ⊖ina, alcalina & aromatica, tàm fixa quàm volatilia, Acido vitioso tàm stomachi quàm primamarum viarum contraria. ut ∽ ⊖ ✱ ci, ⊡æ, viperarum succini, ⊖ cineritium absinthii, cardui benedicti, centaurii minoris, rorismarini, &c. quæ juvant, quatenus contrariantur Acido. Nam alcalia destruunt Acida, & mutant in ⊖sa diuretica. Spiritus *salis ammoniaci est verus domitor Quartanæ, & omnium febrium intermittentium*; salia volatilia oleosa commendo in morbis Chronicis, quod destruant Acida: plantæ aperientes vulgò dictæ sunt plus minus dotatæ ⊖e volatili oleoso aromatico, quales sunt Apium, petroselinum, carduus benedictus, Rosmarinus, levisticum, filix, scolopendrium, Rhabarbarum, polypodium, cortex fraxini, cochlearia, nasturtium, &c. quæ in scholis Chymicis dicuntur constare ⊖e volatili de natura Alcalium. Conveniunt ergò duplici ratione, partim quod temperent Acidum, partim quatenus augent ⊖ volatile oleosum massæ sanguineæ & bilis. His possunt adnumerari stomachico-Aromatica, incidentia ratione Viscidi, interna & externa.

Sequuntur *Morbi Compositionis* seu potiùs *Connexionis*, qui sunt vel primarii, vel secundarii. *Primarii*, quando partium nexus & cohæsio mutua tollitur, quæ in parte organica ad constituendam machinã imprimis necessaria est: Pertinent igitur huc *Morbi solutæ Unitatis*. *Secundarii* sunt, quando ex soluto nexu hæ ipsæ partes subinde ex uno loco in alium prolabuntur, & sic notabiliter in situ mutantur, v. g. in luxationibus, prolapsu intestinorum, uteri, &c. de quibus in Praxi speciali.

De Morbis autem Connexionis primariis, seu solutæ Unitatis, monendum, quod omnes hujusmodi affectus, præsertim in partibus mollioribus, oriantur à particulis agentibus, rigidis, acutis, & ita conformatis, ut fibrillas tenuissimas discindere, intra particulas componentes penetrare, & ita eas separare queant, sive hoc faciant acutæ particulæ objectorum ignitorum, sive liquorum corrodentium, sive particulæ rigidæ gladiorum modo pungentium aut scindentium.

Post Morbos Intemperiei aliàs in scholis Galenicis tractantur *Morbi Occultarum Qualitatum*, ut ut ipsi eorum defensores adhuc nesciant quid sint Morbi Occultarum Qualitatum; unde ab occultis, id est incognitis, Causis deducuntur: qui tamen ab aliis per fermenta exotica & venena, quæ saltẽ turbant & afficiunt immediatè massam sanguineam, & spirituum vitalium substantiam, hinc omnia contagia scorbutica, luis Venereæ, variolarum, &c. sanguinem immediatè inquinantia, nunc spirituum crasin afficientia, ab occulta Qualitate deducuntur; ab aliis verò tanquam morbi Archeales per ideas peregrinas explicantur.

Fuerunt hæ Essentiales *Morborum differentiæ*; *considerandæ etiam Accidentales*, à circumstantiis variis desumptæ. Differentias has accidentales fusè *KYPERVS in Institut. Medicis* tractavit succinctè: nostrum est, primarias differentias evolvere. Maximè autem ratione afficiendi modi dividuntur Morbi in *sporadicos* & *communes*. *Sporadici sunt, si varii & distincti morbi etiam diversa subjecta afficiunt*, dum e.g. hunc pleuritis, alium catarrhus, affligit. *Communes* sunt, quando unus idemque morbus simul plures homines invadit, quales etiam sunt Pestilentiæ. Morbi hi communes ratione causæ subdividuntur in *Endemios* & *Epidemios*. Morbi *Endemii sunt* Morbi communes, quorum causâ in loco, ubi incolæ affliguntur, est quasi domestica, qualis morbus v.g. est scorbutus incolis maris Balthici & Anglis. In Anglia etiam Endemius Morbus est Contagium Anglicum, ortum ex continuo suffitu carbonum ignitorum, quibus utuntur. Morbi *Epidemici* sunt, qui communiter plures invadunt simul, ita ut causa eorum non sit vernacula, sed ex præternaturali ordine oriatur & cesset, qualis est, si in loco dysenteria grassatur, orta ex certa fructuum corruptione; quales etiam sunt febres catarrhales epidemicæ, ortæ ex vitio tempestatis hybernæ humidæ. Sic interdum solet fieri, ut grassentur variolæ, morbilli, &c. quæ demum suâ sponte cessant.

Ad Morbos communes etiam referuntur *Morbi Contagiosi* dicti, & *Epidemici*, qui solent valdè grassari, & ratione afficiendi modi dividuntur in *Contagiosos* & *Non-Contagiosos*. Morbi *Contagiosi sunt*, qui effluviis certo quasi seminio, miasmate seu inquinamento ex ægro exhalante se multiplicant, & alia corpora sana afficiunt. *Non-Contagiosi* sunt, qui sine sui multiplicatione saltem corpus ægrum afficiunt, ut Febris quartana, & similes. Observatur autem inter hos Morbos Contagiosos & Communes non levis convenientia, ita ut interdum Morbi communes Epidemici sint simul Contagiosi, *qui ab effluviis fermentativis cum massa sanguinea, aliisque contentis*, vel immediatè spiritibus, *permistis, suamque ibi tragœdiam ludentibus, proficiscuntur*, v.g. dysenteria epidemica, morbilli, febres petechiales, &c; interdum sunt disjuncti, i.e. dantur morbi contagiosi, qui nunquam grassantur epidemicè, sed per contactum, coitum, salivam ex potu absorptam, vel per pus corpori illitum, contrahuntur & affligunt, quales sunt Lues Venerea, scabies, &c. qui morbi pertinent ad motus massæ sanguineæ fermentativos. *Contagiosi quidem* hi morbi sunt, *si ab alio ægro procedat istud fermentum, similem fermentando inducens ægritudinem: Epidemici verò* dicuntur, *si ista effluvia* in ≙e sparsa, *vel* cum hoc *inspirata, vel cum alimentis ingesta, fermentationes vitiosas inducant*. Conferatur *SENNERTUS l. 4. de Febribus c. 3.* ubi de Contagio, & *l. 6. Praxeos P. 3. cap. 3. pag. 107. sequ.* Item *in Institut. l. 2. P. 2. cap. 12.* Et hi differunt certo modo à Contagiosis: qua ratione febris epidemica maligna est Pestis, quæ non per contactum, sed per ≙em vel alimenta contrahitur. Sic ex epidemica Lue in Castris magna sæpè strages oritur, v. g. dysenteria, quæ ex excrementis, eorumque exhalationibus, contrahitur. Similiter variolæ sunt partim contagiosæ, partim epidemicæ.

De

De Contagio, & consequenter in effluvio morboso, tria sunt consideranda:

1. *Corpus ægrum.*
2. *Corpus sanum.*
3. *Medium* causale, intercedens corpus sanum & ægrum.

Medium hoc, quo corpus sanum inficitur, vocatur Contagium, unde consequenter illi morbi sunt contagiosi, e.g. scabies est affectus contagiosus, alios affectu isto etiam afficiens: sic lues Venerea est contagiosus morbus. *Contagium* hoc ex ægro exhalans *reverà nihil aliud esse videtur, quàm* ∽ *vitæ, vel insitus vel influus, morbosè vitiatus* & alteratus, à quo in alio simili subjecto similes etiam Alterationes inducuntur, unde pernitiosa deliria & convulsiones sequuntur, quæ interdum in quibusdam pestis speciebus sunt nota, cùm tamen pulsus & ⊡ naturales fuerint. *Contagium* hoc, insensibiliter ∽ & massam sanguineam afficiens, habet se instar particulæ fermenti in panificio, quod à fermentante farinacea massa desumptum, alteri farinaceæ massæ additum, eam pariter fermentat; sicut pauculæ guttulæ salivæ humanæ admistæ cerevisiæ non fermentanti faciunt eam fermentare citissimè: quod etiam facit, si syrupo cuidam, vel Condito cerasorum, ribium, aliorumvè, addatur; & quò gravius affligit Contagium, eò vehementior est febris. *Miasma verò* Epidemicum in ♎e volitans se habet instar effluviorum florentis vitis in agro, à quo V. in cellis contentum turbatur & fermentatur. Sic quando hordeum floret, cerevisia tegenda, vel cavendum, ne acescat: quando secale floret, panis seculinus facilè mucescit vel situm contrahit.

Est enim Contagium sub minima mole summè activum, & tamen saltem similis speciei subjecta, eaque imprimis consanguinitate conjuncta, afficit, omnium fugit sensus, & ex effectus atrocitate saltem se manifestat. Non ergò crassiori materiæ moli, sed subtilissimo subjecto, adeoque spirituosæ materiæ, vis contagiosa adscribenda, & cùm tàm insigniter in similis tantùm speciei subjecta operetur, intimæ simul admissionis, & propter certam cognitionem facillimè simul cum vitalibus, talium subjectorum unionis existit, adeoque in radice cum iis conveniens. Rarum est, quod observatus fuerit *odor fracidus* seu *fracedo putrida*, seu contagio nares stimulans, quæ contagii vicem gerit. Ergò *in* omni *morbo contagioso*, præter fermentum seu seminium morbosum, *in specie spiritus vitalis*, vel influus vel insitus, ceu illius subjectum proximum, *considerandum*. Nam ratione hujus saltem non solùm contagiosus est morbus, sed etiam exinde est, quod tale contagium tantùm ejusdem speciei animalia afficiat, non autem alia; v.g. Pestis inter homines grassans, dysenteria Castrensis seu Militaris, homines saltem, non canes, non equos, nec alia animalia, affligit: in peste belluina brutorum certa species perit, hominibus nihil tale sentientibus; v.g. observantur pestes ovium, vaccarum, &c. quæ innoxiæ hominibus; Morbi epidemici felium &c. Pestes hæ seu strages animalium communiter oriuntur ab *ærugine plantarum*, quæ nihil aliud est, quàm quod Gangræna in hominibus: quando nempe ⊖ia sylvestria ex pruina aliisve malignis halitibus affixa ejusmodi æruginem, & spirituum vitalium destructionem, causantur. Quod si fermentum malignum spiritui vitali insito inhæserit, cujus effluvia (beneficio quorum in statu naturali ex corpore heri exspirantium canes inter mille homines herum suum agnoscunt: Qui abhorrent cancris, licèt hi clam ponantur sub orbes, anguntur tamen angustiis præcordiorum ex insensibili cancrorum effluvio) ex determinata parte, vel immediatè sub insensibili transpiratione, vel mediatè cum excrementis quibusdam emanant, adeoque ad hanc potiùs ratione ∽ insiti affecti, quàm ad aliam partem, determinata sunt, fit, ut etiam contagium tale non promiscuè quasvis, sed saltem certam quandam partem specialem, affligat. Sic v. g. Contagium saltem intestina in dysenteria, fauces in Angina contagiosa, & cutem in scabie, non alias partes, afficit; secus, si spiritui influo societur seminium morbosum, in genere etiam à contagio vel spiritus influus, vel massa sanguinea inquinatur, & sic non particularem, sed universalem morbum, infert, ut in variolis, febribus petechialibus, atque similibus magnis affectibus est evidens. Omnia corpora, in specie animata, habent circa se certam quandam atmosphæram, quæ sunt illi circuitus ♎is circa ⊽m, quod patet in ratione contactus magnetis & ferri in distans. Ut fiat res clarior, in dysenteria contagiosa contagium malignum in se Acidum volatile acerrimum, spiritui vitali insito intestinorum, cujus portiones quædam cum excrementis excluduntur, sociatum, in alio corpore humano ob symbolismum essentialem facillimè sibi simili intestinorum spiritui associabit, & etiam dysenteriam inseret, itaque morbum contagiosum particularem constituet. In Variolis verò à fermento contagioso afficitur ∽ influus, hinc morbus totius corporis universalis exsurgit, & tàm internæ quàm externæ partes conspurcari solent, cùm ex opposito in scabie, quia saltem ∽ insitus cutis afficitur, morbus particularis enascitur, in quo tantùm cutis, & nullæ aliæ partes, afficiuntur.

Miasmata hæc morbosa, ut varii sunt generis, *de* ⊖*ium tamen natura multum participare*, eaque esse texturæ ⊖inæ, multa persuadent, adeò, ut ob id etiam ad ⊖ia volatilia eadem reducat *SIMON PAULI Digress. de Febribus Malignis.* Non tamen omnia ejusdem erunt naturæ, seu Conditionis; quin potiùs quædam de Alcali volatili acriori, ut in peste, febribus malignis acutis, petechialibus, & pestilentialibus, post magnas clades ex cadaverum putredine exhalantia, unde Acida prosunt: vid. Sylvius in Prælect. publicis de Peste, quædam de ⊖e volatili acido specifico, v.g. in dysenteria epidemica, quæ oritur ex esu acidorum, fructuum horæorum, &c. in lue Venerea, scabie exulcerante, scorbuto, in quo Acidum spuere videntur, unde vacillationes & aliæ corruptiones dentium fiunt, participare videntur: vid. *STLVIUS in Dissertationibus.* Verum est, quod nulli morbi sibi verosimiliùs videantur, quàm lues Venerea & scorbutus. In phthisi est Acidum volatile, quod exulcerat pulmones. In Variolis & Morbillis effluvia contagiosa esse naturæ ⊖ino-acidæ, credo: ambo possunt derivari à lacte nutricis, ita ut remanentiæ lactis corrupti, ex acore vitioso inquinati, sint eæ, quæ à contagio simili ex lacte, suo tempore effervescendo, inferant Variolas vel Morbillos. Achores & favi oriuntur ex vitio lactis nutricis, ex quo etiam oriuntur Contagia. Contagia hæc ⊖ina fermentativa non sunt ejusdem potestatis, quin unum citiùs & potentiùs, v.g. in affectibus acutis & malignis; alterum tardiùs & debiliùs, quando lentore viscido plus minus obrutum est, v.g. in febribus, Lue Venereâ, scorbuto & scabie, se exserit; unde

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0217-8 DFG

unde diutiùs durant hi morbi, quàm malignæ & acutæ febres.

Hi lenti morbi ex acida causa viscida lenta lentè quidem proserpunt, sed turpiter hominem deformant. Viscida illa contagiosa sunt, & facilè in vestibus continentur, unde alteri communicari possunt; quin etiam æqualiter omnes afficiunt, sed hunc magis, illum minus. Diversitatis ratio inter alias, non est ultima, Convenientia Subjectorum, quoad crasin in massa sanguinea, & symbolizatio mumiarum; hinc enim est, quod inter consanguineos similitudo craseos seu constitutionis seminalis aptiores eos reddat, ut faciliùs unus eorum quàm peregrinus, suscipiat alterius effluvium. Singulare hic quid obtinet *Rabies Canina*, cujus contagium non solùm ad aliquot annos sæpè in corpore, post morsum sepultum latet, sed etiam quod hoc ipsum adjunctâ quâdam ideâ contagiosâ Archeum in mores caninos transformare videatur. Pertinet huc etiam *Tarantismus*, cujus morbosa semina toto anni tempore latentia tantummodò eo tempore, quo æger à tarantula primò demorsus fuit, evigilant, & se exserunt.

Modus afficiendi est duplex: nunc 1. per contactum corporalem seu realem, nunc 2. virtualem. Realis est, si corpus sanum admovetur ægro, ut contactu ex corpore ægri suscipiatur in corpus sanum; virtualem, si sine contactu remotum corpus ægri afficit corpus sanum, quod fit mediante vehiculo ♎eo per inspirationem. Hinc pars affecta variat. Si enim fit per contactum virtualem, bina loca afficit, stomachum nempè, & sanguinem per pulmones trajectum; Unde si aliquis afficitur à contagio in distans, semper immediatè Alterationem in præcordiis æger percipit, nempe in orificio sinistro stomachi; hinc si in statu pestilentiali incipiunt sani sine manifesta causa nauseare, & vomere, certum est signum suscepti contagii, utut citò vel tardè se explicet: in principio morbi sunt anxietates, afficitur stomachus mediante salivâ, dum contagium in ♎e attrahitur, in ore inquinat salivam, & hæc deglutita sanguinem.

Facilè hæc nos ducunt ad curam & præservationem, scilicèt ut semina fermentativa morbosa sub insultu expellantur è stomacho, quod fit per Vomitoria. Hinc ubi jam massa sanguinea infecta, ibi remedia sudorifera & præcipitantia prosunt, quæ pro contagiorum varietate variant. *Ubi peccat sal alcali volatile*, conveniunt remedia terrea fixiora, Mineralia, & omnia ex antimonio fixo, v.g. antimonium diaphoreticum, ♁ antimonii, &c. Quæ figunt, concentrant & imbibunt istud ⊖ alcalinum, & concentratum per sudorem evocant. Pertinet huc ☍ camphoræ, quod admiscetur omnibus sudoriferis ob specialem vim; Camphoram enim omnes Autores pro egregio præservativo, uti & *ZIEGLERUS Tract. de Morbis Contag.* pro pestis præservatione commendat. *Si Contagia sint de natura salina acida*, ut in scabie, ibi imprimis sudorifera, contraria Acidis, prosunt, nempe de natura alcalina, nunc fixa, nunc volatilia, ut decocta lignorum, imprægnata fuligine ejusque ⊖e. In scabie internè pro sudore optimè prosunt ⊖ia urinosa volatilia; externè verò pro unguentis lixivialia fixa ex ♀ & ⊖♃. In phthisi & scorbuto terebinthina, mixta cum saccharo saturni, sub forma boli, vel aliis modis magnam habet utilitatem. Altera enim Chirurgiæ columna dicuntur medicamenta saturnina; in terebinthina autem est balsamica vis ex oleo ⊖ino-volatili, qua purificat, & abstergit, atque vi diureticâ per ⊡m expurgat: sicut abies & pinus sunt benedictissimæ arbores pro scorbuto, quibus arbor congener est larix, quo in Gallia multi in phthisi, & contra miasmata & contagiosos halitus phthisicorum utuntur; unde etiam in scorbuto, lue Venerea & Gonorrhæa potus ex terebinthina factus egregium est præservativum & curativum. Præservationis punctum Morborum contagiosorum in eo consistit, ut tollatur convenientia mumialis fermentativa, ut crasis seminalis massæ sanguineæ certo balsamo condiatur, ratione cujus fit alius naturæ, qualia sunt ♎ea, succinata, myrrhata, Acida blanda, ut Acido-sulphurea, ♎is, &c. quæ in corpore sano plus minus ejus crasin alterant & præservant, in specie ♎ea mira faciunt, ut fumus ♎is, & potissimùm camphora, quæ in peste, aliisque morbis malignis & contagiosis non tantùm ut præservativum, verùm etiam ut remedium restitutivum, adhibenda censetur. In morbis Epidemicis studendum est purificationi ♎is, pro quo scopo elegans medicamentum in ♎e latet, fumus enim incensi ♎is in ædibus epidemicis prodest maximè: de ♎e vid. *HELMONTIUS in Tumulo Pestis*, & *KIRCHERUS*. Commendatur etiam pro hoc scopo ☉, quo in castris, quando pestis vel alia contagia grassantur, sub forma pulveris pyrii utuntur.

Quod attinet ipsam Curationem Morborum contagiosorum & epidemicorum, consistit imprimis in ablatione Contagii fermentativi, & sedatione obortæ inde in sanguine fermentationis. Faciunt hoc optimè (1) sudorifera volatilia (2) Acida. Scilicèt per sudorifera ventilamus massam sanguineam, impediendo vitiosam spirituum generationem. Sub initio autem, præprimis in peste, sub nausea optimus est Vomitus ex Antimonialibus, croco metallorum, floribus antimonii, &c. ex quibus, vomitu excitato, si non liberati; tamen levari multùm existunt. Pro scopo sudorifero conducunt in specie ♎ea seu salia volatilia oleosa, quæ spirituum puritati conducunt: His tamen, quantum fieri potest, semper admiscenda sunt specifica, fermento morboso contraria; Sic enim in lue Venerea talia sudorifera sunt imprimis ex lignis: in peste talia sudorifera sunt ex ♎ibus mineralium, in specie antimonii cum salibus volatilibus & camphora mystis: in dysenteria epidemica sudorifera sunt opiata cum cornu cervi, vel antimonio diaphoretico mista, aut loco horũ Theriaca cum pulvere ossium humanorum & hepatis viperarum: in febre Hungarica camphora vel spiritus theriacalis camphoratus cum spiritu vitrioli vel alio acido pro quadam præcipitatione seu fixatione, conducit; unde loco Theriacæ, Fracastorii electuarium diascordii, propter Absorbentia, potiùs eligunt. Quod si à fermento maligno jam inducta sit Alteratio morbosa in massa sanguinea, & huic appropriatis postmodum erit occurrendum. Posteriori modo in dictis spirituum inquinamentis tollendis usitatissima sunt ⁂, item rubi idæi, ✠ sambuci, & bezoardicum, factum ex citro, radice scorzoneræ, petasitidis, ex floribus calendulæ, rosis, zedoaria, zingibere, radice bistortæ, &c. cum camphora; spiritus nitri, interdum sulphuris, vitrioli, succus limonum, berberum, cydoniorum, & omnia Acida in Julebo quodam propinata, quæ pesti quoque resistent egregiè. Rulandus in febre Ungarica Zedoariam, & ✠ hujus contra luem Ungaricam commendat, uti & prosunt in peste medicamenta ex hac. Contra fumos metallicos etiam Operariis Metallicis conduc-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0218-4 DFG

cit: Ratio potest esse, quia metallica miasmata sunt acida, quæ debilitantur volatilitate Zedoariæ.

Ratione Partis affectæ vel *per Essentiam* vel per *Consensum* Morbi oriri & afficere dicuntur. Si pars est affecta, in quam immediatè agit Causa Morbosa, dicitur *Morbus per Essentiam. Per Consensum*, una pars ab altera affici, seu morbosa reddi, dicitur, quando una parte præternaturale & peregrinum quid sentiente, alia ipsi quacunque ratione connexa etiam sentit, atque idem aut diversum quid patitur & sentit; e.g. in vulneribus capitis supervenit Vomitus, quod per Consensum fit, unde Sympathia etiam dici consuevit. *Fundamentum hujus Consensus consistit* in structura & connexione certa partium nervosarum; & quidem *triplex est partium Consensus:*

1. *Quando partes sunt omninò continuæ*, unde una affecta etiam altera afficitur, quâ ratione in imminente Vomitu tremor labii inferioris contingit, quia intima membrana in stomacho, gulæ & oris cavo, ipsisque labiis, continua est. Sic, qui laborant calculo, percipiunt dolorem gravem in extremitate penis, ob continuitatem intimæ membranæ vesicæ cum urethra: sic Consensus est umbilici & vesicæ ⊡tiæ in stranguria; si umbilico inungitur sevum hircinum, levamen percipiunt.
2. *Quando partes sunt contiguæ*; quâ ratione, qui stranguria laborant, sæpiùs etiam ad tenesmũ & continuò alvum exonerandum stimulantur, quia immediatè connectitur collum vesicæ cum intestino recto, unde irritato collo vesicæ etiam irritatur anus & vagina uterina. Sic per consensũ afficitur, irritato ano per clysma, subinde uterus, & disponitur ad præmaturum abortum: sic in singultu, qui est affectus diaphragmatis, afficitur simul orificium stomachi superius, ratione Contiguitatis: item hepatis inflammatio infert tussim instar pleuritidis ob Consensum hepatis cum diaphragmate, quia sibi invicem incumbunt.
3. *Quando partes, licet remotæ, per nervorum tamen intermedios funiculos certa ratione conjunctæ sunt.* Ita renes cum stomacho & intestinis consentiunt, qua ratione dolore renum & calculo comitantur tormina ventris, vomitus, dysuriæ, &c. ob nervulos ex plexu nervorum mesenterii communi ad renes & omnes has partes derivatos: isto ergò renali nervo, plexu viciniore ex dolore in convulsivas crispationes irritato, reliqui ex eodem plexu similes convulsiones patiuntur. *Sunt enim nervosæ* & membranosæ *partes, quæ propriè consentire dicuntur*; quoniam earum structura est talis, ut instar chordarum vel membranarum fortiter tensarum, spiritibus animalibus imbutarum, hinc inde sint contextæ aut connexæ: unde tali chordâ & membranâ, in altera extremitate fortiter compulsa, vel illisa, tàm ex continuitate tensionis & hinc vibrationis, quàm ex rapidissima animalis in parte impulsa agitatione & motione, secundùm partis talis nervosæ continuitatem, aut contiguitatem omnis iste connexus & contextus in altera parte similiter moveatur: Vid. *WILLISIUS in Anat. & Patholog. Cerebri*, *SENNERTUS Paralipomenis*, *SANCTORIUS Tract. Method. Vitandi Errores in Medicina.* Hinc punctis cerebri membranis subinde totum corpus paroxysmo epileptico convellitur, teste *SCHNEIDERO de Catarrhis*; & irritata intima narium membrana thorax, vel potiùs diaphragma, & musculi thoracis, convelluntur, unde Sternutatio, ob nervorum ad membranam hanc tendentium cũ nervis intercostalibus ortam connexionem, de qua videatur *WILLISIUS.* In ulceribus tibiæ dolorificis, si asperiùs tractantur, tremor totius corporis supervenit, quia membranæ juxta tibias mutuò invicem sunt connexæ, ut mutuam sensibilitatem sibi communicent per nervos. In horrore febrili totum corpus riget; oleo autem caryophyllorum in regione stomachi inunctò cessat omnis horror, quia membranæ inter se invicem sunt coñexæ.

Sunt hi veri Partium Consensus. Quod si verò fiat, ut per sanguinis circulationem excrementa vitiosa ex una parte in aliam transferantur, & ita posterior afficiatur, non potest propriè Consensus appellari, sed est tantùm *metastasis materiæ morbificæ, & morbus per* δευτεροπάθειαν, non per συμπάθειαν. Sic Scorbutus quando in parte quadam inducit paralysin, dicitur morbus per δευτεροπάθειαν, quia morbus per Consensum ita est confirmatus, ut possit per se subsistere.

Quædam aliæ Alterationes hinc etiam pertinent in corpore obviæ, ac Consensus vulgò vocatæ, cùm vel ex alterata tota massa sanguinea, vel ex imaginatione, indeque vario spirituum motu, vel aliâ ratione, dependeant. Pertinet huc v.g. Consensus sic vocatus testium cum pulmone & aspera arteria: *nam & tussis pulmonum in tumorem testium non raro mutatur*, & ex testium virilitate inspirata sub pubertatis annis alteratur arteria tracheæ, dum vocem graviorem & magis sonoram reddit: vid. *LAURENTIUS in Controvers. Anatom.* 1. qui prolixiùs de his agit. Si cessant penitus menstrua, supervenit mammis 69: testes immissi cum scroto in certum ☌, ex radicibus Juglandis parandum, capillos canos denigrare denuò refert *SCHENCKIUS lib.* 1. *Observat. pag.* 4. *Epithema ex succo semper vivi majoris cum aceto & nitro testibus applicatum, fortissimam etiam ebrietatem citò dissipat*: vid. *HEINRICUS ab HEER in Observat.* 1. *RIVERIUS in Observat. Communic.* habet, quod alibi etiam ab Autoribus traditur, quod Phrenetici & Furibundi nimis, castrati si fuerint, notanter mitiores fuerint exinde. *Simile Epithema hepati admotum hæmorrhagiam narium sistit.* Sic consentiunt oculi cum testibus, quatenus nimio coitu hebetantur: Causa est depravatio humoris limpidi pro oculis, & spirituum animalium, qui ad oculos pro actu Visionis deferri debent. Pedum plantæ refrigeratæ ambulando super lapideum pavimentum, aut alvum laxant, aut ventris tormina inferunt: quibusdam caput dolere faciunt. *BRASSAVOLA* dicit, quod quis, alvi obstructione diuturnâ laborans, ubi nudis pedibus in pavimento obambulaverit, sedes in eodem promotæ sint. Mammarum cum utero consensus in omnibus decantatus, cùm istis contrectatis puellarum uterus pruriat. Si mammæ gravidæ mulieris non crescunt, signum est, non benè habere se fœtum. Mulieribus frequentes sunt in occipite dolores frigidi, quasi glacies ibidem jaceret, quà Practicis utero malè habenti adscribitur, & hôc curatò dolor evanescit.

Inter Accidentales Morbos ratione subjecti de-

nominationis Morbus alius est *vel Congruus*, vel *Non-Congruus*. *Congruus est*, qui evenit nempe ætati, sexui, vitæ generi, & similibus. *Non-Congruus* est, qui non convenit ætati, vitæ generi, sexui, &c. Sic Epilepsia est morbus Congruus infantibus: Passio hysterica dicitur morbus Congruus Mulierum: Colica, Gonorrhæa, &c. dicitur Morbus congruus Viris: item Malum hypochondriacum est morbus congruus literatis: Febris intermittens est morbus congruus juvenibus & viris. Fundamentum hujus rei consistit in massa sanguinea, cujus crasis seminalis, prout annorum series plus minus alteratur, infert sensiles alterationes in corpore. Alteratio ista fit secundùm diversum usum rerum 6. nonnaturaliũ, quibus homo per vitã expositus est. *Ætas*, & certũ vitæ nostræ spatium, in quo corpus nostrũ singulari & peculiari movetur modo, dividitur in *Accrescentem, Consistentem* & *Declinantem*. Fundamentum est in sanguine, qui in infantibus est instar musti, in Viris & juvenibus instar vini generosi, in senibus instar Vini acescentis. Ætates hæ circumscribuntur per numerum septenarium. Origo, unde facta hæc mutatio annorum, ab Ægyptiis ex Pythagorica schola pervenit ad nos; illi enim multum numeris 7. & 9. attribuerunt. Imprimis confirmavit numerum septenarum, quod corpus ut plurimum septenario incipiat, & finiat septimo septenario. Deficit vis genitalis septuagenariis in Viris, & octavo defloresci. Observatum est, quod crises & mutationes morborum criticorum per septem contigerint, ut die septimo, decimo quarto, & vigesimo primo, fiant Crises perfectæ; hinc nata fuit supputatio annorum climactericorum, ut omnes 7. & 9. putati fuerint climacterici; 7. primarii, & 9. secundarii. Rarò senibus sine insigni mutatione corporis contingent annus septimus & nonus. De his videatur *CLAUDIUS SALMASIUS Tractatu de Climactericis*: Scriptum est rarum & curiosum, ubi eleganter scrutatur originem hujus sententiæ, ubi determinat, variam esse hanc mutationem.

Ratione primæ originis morbi sunt vel Connati, vel Adventitii. Connati mox ab Ortu nobis insunt, vel radicaliter vel formaliter: *Adventitii* sunt, qui post Generationem superveniunt Subjecto. Connati sunt iterum vel *Hæreditarii* vel *non-hæreditarii*. Primatum obtinent *Hæreditarii* sic dicti, sive à parentibus morbosis in liberos transplantati morbi. Non autem omnes, sed tantùm isti hæreditarii sunt, qui fixas habent in parentibus radices, Chronicique sunt, & difficulter curabiles, v.g. Lithiasis, arthritis, melancholia, mania, lues Venerea, &c. non ita, qui à causa spirituosa & volatili magis dependent, ut febres malignæ, aut acuti morbi, qui una vel altera vice affecerunt parentes. *Non-hæreditarii* sunt, qui mox fœtui accidunt post partum, parentibus nunquam vel rarò tali conflictatis morbo. Sic observati sunt infantes nati icterici cum variolis, catarrhis in naribus, &c licèt parentes fuerint sani: sicut *SCHENCKIUS* narrat de puerpera, quæ morbillis laborans peperit infantem iisdem pariter affectum; quin pariter podagricus generat filium suo tempore eodem morbo correptum.

Quod horum causam attinet, ea non minus in obscuro adhuc posita est, quàm ipsa generationis ratio. Majores nostri facilè se potuerunt explicare, quia statuerunt miscelam utriusque seminis in generatione, ex qua miscela causas morbosas statuerunt. Sed cùm nos insistamus Anatomicis Experimentis, in quibus statuimus, Omnia fieri ex ovo fœcundato, difficiliùs est, ut explicemus Genesin morborum hæreditariorum. Videndum itaque, an aliquid sit materiale, quod transplantatur in infantem, vel inducit morbum hæreditarium? An verò sine mistione materiæ morbosæ fiat? Materiale quoddam fermentum, aut quidam, secundùm Paracelsistas, Morbosus Tartarus, ⊖ fixum acidum, aliudvè in semine sanguineque residens materiale, horum morborum causa esse nequit, quod nihil materiale post coitum in utero remanere soleat; aut si quid remaneat, directore tamen opus habebit, mediante quo ad adeò determinatam partem dirigatur, ut lithiaseos seminarium renibus, podagræ articulis, infigatur. Alii dicunt; Fermentum quoddam instar contagii adhærere spiritui genitali, ratione cujus Transpositio fiat. Verùm si tale aliquod esset fermentum materiale, dubium tamen est, quomodo fiat determinata in partem specialem implantatio, ut fermentum podagricum circa articulos propagetur, ita ut fermentum phthisicum pulmones, non vero alias partes, afficiat: & cur non pater v. g. nodosus ex podagra similiter generat filium, in cujus articulis jam coagulati essent similes nodi?

Hîc ergò *HELMONTIUS*, uti in aliis morbis, ad ideas suas dilabitur. Mens ejus hæc est: Cùm Morbi parentum chronici, v.g. podagra, graviter afficiant eorum ∽, hinc ex dolore, vel alia ratione in his producitur character idealis istius affectus, quæ morbi idea in spiritu characterisata in generationis actu unâ cum ideis naturalibus traducta Causa fit morbi, hinc tandem subnascentis hæreditarii. Statuit enim *HELMONTIUS*, latere morbum à parentibus traductum characteraliter in Archæo seminali, cujus sigillum in semine parentum anteà depictum sub sua dierum maturitate erumpat: sicut etiam nonnulli morbi liberis in tertio gradu sæpè evigilant. Sigillatus hîc in spiritu seminali character tam diu dormit, & sui maturitatem expectat, donec à causa occasionali quadam expergefiat, suasque jam olim conceptarum imaginum explicet ideas: vid. *HELMONTIUS Tractatu Invent. Tartari* §. 21. p. 242. *Morbi Archæal.* §. 15. p. 551. & *Volupe Vivent.* §. 7. 8. &c. *pag.* 389. qui characteres citiùs vel tardiùs evoluti, & clarè explicantes suas ideas, citiùs vel tardiùs, vehementiorem vel debiliorem inducunt morbum. Cùm per conceptum libidinis imaginationem natura ingenti fermentatione concitatur, fit, ut Anima desiderio generandi veluti turgida Archæo, quasi generationis exsecutori, demandet cum vitali radio totius homini imaginem; quæ ipsa dum quandam totius generationis omniumque ejus partium ideam, potentiali quadam ac chaotica confusa veluti spiritualitate in se contineat, quendam etiam veluti characterem morborum in generantibus præsentium, ex præternaturali Generantis infirmitate conceptum, necessariò cum semine communicabit, per cursum formationis explicandum. Hoc igitur characterismo insignitus Archæus seminalis, à quo utero contagii formâ attractus, quem aliàs vim plasticam nominare consueverunt, tamque Generationis seu formationis exsecutor & Rector se ipsum tandem vestit corporali materiæ in ovo uterino amictu, statimque veluti perambulat ovi istius uterini latebras omnes, incipit materiam transformare juxta imaginis suæ potentiam: hîc cor locat, ibi cerebrum designat, omniaque membra pro conceptæ ideæ scientia fingit ac depingit optimus domicilii sui Architectus: quin & ipse jam meti-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0220-3 DFG

meticulosas, nunc audaces, fœtui communicat impressiones. Quod si itaque phthisicâ exulceratione debilitatus sit pulmo, conceptam etiam hanc insimul debilitatis similitudinem in pulmonum fabrica molitur. Sic mutos, sic surdos, &c. ob defectũ quasi & abolitum totaliter horum organorum robur fabricat: sicut etiam Arthriticas ob debilitatem articulorum quasi simul generantium introducit dispositiones. Debilitate enim si infirmentur corporis humani partes, facillimè digestionum errorem concipiunt, & ipsa fabricantur cruditatum excrementa, jamque quasi assuetæ hisce ærumniis faciliùs longè in paroxysmo morborum recipiendos prolabuntur. Translationis hujus morborum idealium modum clariùs explicat iisdem ex hypothesibus *NETTELBACH Dissertat. de Epilepsi. c.* 4. § 4.

Cui idealis hæc hypothesis paulò obscurior videtur, hoc modo hæreditarios explicet morbos, quod nempe morbi hæreditarii consistant in spiritu influo patris, ab insito cujusdam partis diutiùs morbosæ alterato, & in crasi suâ facilè degenerabili facto, qui per generationem à parentibus comunicatus, & ex parte sub formatione fœtus partibus implantatus, tandem successivè mutationibus in præternaturali istâ alteratione olim conceptâ, magis magisque intenditur & exaltatur, donec similem ac in parentibus morbum inducat. Conferatur *HIGHMORUS*, qui defendit, quod semen ratione spirituum ab omnibus partibus corporis dependeat, & *LAURENTIUS Histor. Anatom. l.* 8. *c.* 2. *pag.* 579.

Revera ergò nihil materiale fermenti vel seminis morbosi transplantatur in fœtum, sed Generatio morborum hæreditariorum consistit in certa dispositione præternaturali spirituum ad hunc vel illum morbum, quæ sub formatione tribuitur partibus, ratione cujus successivè generantur isti morbi, quales fuerunt in parentibus.

Hoc negotium potest explicari per Morbos Conformationis, quî fiat, ut pater luscus generet filium luscum? Quæ vitia fiunt sine materia, sed similiter genitalis à morbosis parentibus ratione texturæ partium materialium facit, quo in partibus materialibus oriatur dispositio vel salubris vel vitiata, unde successivè efflorescunt tales morbi. Nam sicut pars quædam morbo aliquo læsa disponitur exinde, ut facilè in similem relabatur morbum, & uti imbecilles parentes, vel *in toto ex senio, vel in* aliqua determinata parte, generant fœtum, vel ex toto vel ex parte imbecillem, ita & similis idea morbifica talem particularem in Conformatione ducit dispositionem, seu se ipsum in parte cum spiritu imprimit, ut exinde illa disponatur ad exortum talis affectus, qualis est iste, qui parentem in ista parte affligere solet, sicuti imaginatio matris sine accessu materiæ alicujus efficit, ut excrescat tuberculum. Vitio etiam Nutritionis per lac nutricum facilè infunduntur hi morbi hæreditarii, quale exemplum de Lithiasi, à nutrice in infantem translata, videbitis in *HELMONTIO pag.* 623. *Tract. Infantis Nutrit. ad Vitam longam.* Per usum autem sex rerum non naturalium possumus impedire, ut morbus hæreditarius minus efflorescat.

In genere in Morbis hæreditariis, e. g. Podagra hæreditaria, prosunt opiata, internè & externè adhibita, lumbricorum volatilis: externè ▽ spermatis ranarum, vini camphoratus, ♁ saponis Veneti, lumbricorum cum spiritu vini abstractus, &c. In Arthritide hæreditaria lumbrici mundati in cucurbita munita in locum calidiorem mediocrem imponantur, qui fermentati & resoluti in liquorem abeunt, qui in Arthritide vaga & vera internè & externè commendantur. In Epilepsia hæreditaria valet maximè secundinæ humanæ, de quo scribit *CNOEFFELIUS*, se *Poloniæ Regem* ab epilepsia inveterata curasse. Præparatio ejus fit per fermentationem: debet esse secundina imprimis filii & primi paræ. Valet etiam in hoc morbo hæreditario liquor cornu cervi succinatus D. *MICHAELIS*, qui præservat, & insultus epilepticos minuit: in D. *SCHERZERI* filia laudabili cum successu propinabatur. In mania & Melancholia hæreditaria prodest etiam secundinæ humanæ, item sanguis asini post aures productus, qui etiam convenit in Philtro cum mania.

Ratione Conditionis certæ Causæ Morbosæ Morbus vel Malignus vel Benignus dicitur. Morbi *Benigni* sunt, qui fiunt secundùm ordinem naturæ & habent ordinaria symptomata. *Malignum* in sensu Medico id dicitur, quod apparenter quidem, & quoad externa signa, aut externam formam, non adeò malum videtur, utut in se sit pessimum, & quod propter graviora & insolentiora symptomata summum vitæ periculum minatur, quâ ratione idem ferè cum *Venenoso* erit; e. g. Febris tertiana per se est benigna; si autem *Lipothymia, convulsiones, deliria &c. apparent, dicitur Tertiana maligna.* Maligni nomen sortiuntur hi Morbi per metaphoram: nam apparenter sunt morbi ordinarii, & tamen gravissima symptomata inferunt. Vitæ periculum minatur malignum, vel repentinâ symptomatum truculentiâ, vel subitaneâ virium sine causa manifesta prostratione, & quidem inter symptomata insolentiora, quæ ordinariò in malignis reperiuntur, primarium est virium prostratio sine manifesta causa. Certè in febribus malignis continuis, ubi patiens non videtur mutatus, ingruit malignitas cum subitanea virium prostratione, cùm tamen ⊡ & pulsus sint boni. Hæ, quas prosternit, Vires sunt vel animales, vel vitales, vel utræque simul; Adeoque causa maligna vel sanguinem ejusq; spiritum vitalem simul, vel spiritum animalem nervorumq; systema simul, vel utrumq; afficit. Differentia hæc est Universalis, & tàm febribus, quàm ferè omnibus reliquis morbis, convenit: nam dantur etiam diarrhææ, dyssenteriæ & choleræ benignæ vel malignæ. Non autem una *eademq; malignitatis* in quibusvis morbis aut febribus malignis vel venenosis est universalis *Ratio* aut *conditio*, tàm subjecti patientis, quam symptomatum hinc enatorum varietate, propter diversos effectus & morbos, quos inferunt; sed specialis ratio in singulis morborum malignorum causis distincta est, quod in Praxi non minus locum habere suspicor. Alia enim ratio est dysenteriæ malignæ, alia variolarum, alia pestis, alia purpuræ puerperarum, alia in catarrhis epidemicis, alia morsus canis rabidi, &c. Alii morbi maligni sunt acuti, ut febres ardentes, alii chronici, ut lues Venerea: Unde pro affectuum varietate & symptomatum ubique diversitas emergit, ex quibus diversæ malignitatis ratio distincta facilè postmodum conjecturari potest.

Fundamentum autem Malignitatis consistit in Causa morbosa, quæ, si præter ordinariam nocendi vim violentiùs agit, ut quasi veneni naturam acquirat, tunc infert morbum malignum, gravioribus symptomatibus stipatum.

Speciatim *Febrium malignarũ*, &, quod ferè semper ipsis conjunctũ est, *Contagiosarũ*, cæteris morbis

malignis & contagiosis *frequentiorum*, quod *attinet Rationem*, earum *natura admodum adhuc est intricata*; sive enim singularem humorum putredinem, quò ipsò tamen nihil explicant; sive sanguinis coagulationem præternaturalem, *ut WILLISIUS de Febribus*; sive ejus nimiam dissolutionem ab Alcali volatili acerrimò factam, ut vult *SYLVIUS in Praxi, ubi de Febribus malignis, item de Peste*, & *PAULI in sua Digress. de Febribus Malignis*; sive verminosam putredinem & corruptionem, aut tale vitium humorum, ut progenies copiosissimorum minutissimorum vermiculorum progerminet, velimus asserere, ut *KIRCHERUS Scrutin. Pestis, HAUPTMANNUS in specie de Viva Mortis Imagine, & LANGIUS in suo Colleg. Patholog. in Fabrum*, item *MARCUS MARCI in Philosoph. Veterum Restituta*, qui examinat hanc sententiam, eamque rejicit, nunquam tamen universalem rationem exactè istarum explicare poterimus, *adeò abstrusa adhuc eorundem nocendi ratio est.*

Quæritur ergò, *in quo causa morbosa Malignitatis consistat?* Respond. Præsuppono, omnia symptomata esse duplicia; quædam Facultatis Animalis, quædam Facultatis Vitalis. In genere *in febribus malignis maximè ferè laborare videntur spiritus*; nunc quidem magis *Vitales cum massa sanguinea*, unde cũ subitanea virium prostratione pulsus frequens, celer, parvus, ut in febribus petechialibus, observari solet corpore adhuc ad sudorem disposito; nunc *vero spiritus animalis nervosumque systema* à malignitate afficiuntur, unde Agrypniæ, deliria, convulsiones, &c. cum omnimodo ferè sudoris defectu affligere solent, *ita ut Causa Febrium Malignarum in destructione spirituum influorum consistere videatur.* Urplurimum sunt *Contagiosæ*, unde ea, quæ superiùs dixi de contagio, huc commodè applicari poterunt: spargunt nempe de se miasmata maligna, vel ab Acido vel ab Urinoso participantia, quæ nullo modo sunt unibilia cum corporis nostri succis & spiritibus, sed instar fermenti pistorii massam sanguineam & ~ insigniter inquinant & transmutant, adeoque in alio subjecto suscepta similem priori ludunt tragædiam.

Febres hæ Malignæ similesque Morbi Maligni, ut morbilli, variolæ, in principio optimè curantur per sudorifera appropriata, cum Absorbentibus mixta; hæc ipsa enim optimè malignitatem expellunt, & massam saguineam purificant: in specie conducunt Alexipharmaca volatilia ex Animalibus desumpta, conjungenda cum Antimonialibus fixis: quibus semper camphorata & ⊖ia volatilia, ⊖ volatile C. C. & Viperarum addenda, tanquam optima Alexipharmaca. His, quando ægri sunt inquieti & *anxietates* habent nimias, laudani opiati granum unum alterumvè addi potest; quod & *HORSTIUS* in incremento Morborum Malignorum suadet. Observandum tamen, ne hoc fiat in statu tempore criseos; nam opiata criticas motiones impediunt: vid *BALLONIUS in Consil.* & *LINDANUS in Scriptis Medicis*: Et quidem Sudorifera sæpiùs repetenda sunt, idque eò frequentiùs, quo magis maligna est Febris, ita ut 24. horarum spatio ter propinentur. *Spiritus nitri cum terra sigillata in febribus malignis tanquam Aurum potabile* est.

Post sudores provocatos, ne ægri nimis debilitentur, dandi sunt Julebi & Potiones acidulæ, imprimis cum & ex citro paratæ, quæ massam sanguineam sub sudatione nimis dissolutam denuò ad consistentiam debitam redigant. Plura habebitis in Collegio Practico.

Præservationem in Febribus malignis & epidemicis optimè præstant *Acida blanda* ut ✠, in specie ✱, Bezoardica & Alexipharmaca Infusione simplicium parata: item citrus ejusque succus, cydonia & similia: item haustus largior vini. De his quotidiè manè ante egressum è domo haustulus sumptus egregiè præservat, in specie, si cum tantillo camphoræ fuerit junctus. Plura in Collegio Practico.

Ratione durationis seu Motus. Morbus dividitur in *brevem* vel *longum*. *Longus* seu *Chronicus* Morbus est, qui diu durat, tardeque movetur; *Brevis* est, qui citò ad finem & terminum pervenit. Hic si conjunctus est cum aliquali vehementia & symptomatibus gravioribus, dicitur *Morbus Acutus*, qui semper Febrem conjunctam habet. *Requisita Morbi Acuti sunt*, ut primò *celeriter*; secundò *periculosè*; & tertiò *cum febre, conjunctus* sit: hinc syncope, passio hysterica, &c. ad Acutum Morbum non refertur. Distinguendum autem inter Morbum *subitaneum* & *paulatinum*. *Paulatini* sunt, qui successivè inchoant; v.g. Scorbutus; *Subitanei* sunt, qui citò afficiunt, ut apoplexia, Passio hysterica, &c. Subdividuntur Acuti Morbi ratione majoris vel brevioris Durationis, ut sint *peracuti*, vel *Acuti simpliciter*, vel *Acuti* ἐκ μετωνυμίας. *Peracuti sunt*, qui intra 7 ☌ ☽ finiuntur; & iterum *exactè Acuti* sunt, qui quarto die finiuntur. *Simpliciter Acuti* sunt, qui in 14 aut 21. diebus terminantur. Isti sunt, qui à tricesimo ad quadragesimum diem terminantur. *Propriissimè* tamen *isti Morbi peracuti sunt exactè peracuti. Fundamentum morborum acutorum consistit in vi & efficacia causæ morbosæ*, quæ vel potentiùs in corpore operatur, vel tardius operationem inchoat.

Morbi porrò dividuntur in *Periodicos* & *Non-Periodicos*. *Periodici Morbi* plurimi dantur, & sunt, qui per certa temporum intervalla redeunt, ut febres intermittentes, tertiana & quartana, menstruatio mulierum, quæ certum suum observat tempus; quod etiam interdum observatur in hæmorrhoidibus virorum periodicis.

ZACUTUS LUSITANUS & *BENIVENIUS* habent *Observationes*, quod peculiares Evacuationes periodicas, easque sanguineas, per loca peculiaria passi fuerint homines. Cum scorbuto Arthritis vaga, dolor dentium scorbuticus, scorbutus ipse, Asthmatici & Catarrhales Affectus, solent secundùm certam periodum, præcipuè circa vesperam & noctem redire & exacerbari. Sic epilepsia, aliique capitis affectus, suos insultus certo tempore, præprimis circa ☽æ mutationes, repetere solent. Cephalalgias periodicas videbitis in *SCHENCKII Observationibus*, ubi dolores ☉e persistente super Horizontem ægrotos afflixêre; sicut & crisium sunt certæ periodi. In novilunio & plenilunio vulnera, præcipuè capitis, sunt periculosa.

Causæ quidem latent, sed effectus satis patent.

Morbi Non-Periodici sunt, qui incertò tempore affligunt, ut febres intermittentes erraticæ, &c. in quibus sæpè occurrit scorbutus, cujus ratio in Cura habenda est, quia sæpiùs redeunt, & recidivæ fiunt: septies observavit Recidivam febris scorbuticæ D. Michaëlis, ideoque Scorbuticis Martialia addenda. Aliàs convenit v.g. In febribus intermittentibus extractum gentianæ, ~ ⊖✱ci, aliaque remedia, diligenti cohobatione cum spiritu cochleariæ & cochleariatis miscenda.

Gene-

Generalis Morborum Affectio, nempe *Tempora*, seu potiùs *Gradus Morborum*, in febribus, & quidem, præsertim acutis, specialiùs observandi, prout nempe iidem exasperantur sensim, sensimque remittunt: scilicèt apud omnes ferè Medicos usitatum est, ut mutationes morbosæ, primariò in acutis, certis spatiis circumscribantur, quæ numerantur 4. nempè

1. *Principium Morbi*,
2. *Incrementum*,
3. *Status*, &
4. *Declinatio* Morbi.

Gradus hi, sed impropriè, Morbi Tempora vocantur, ob usum, quod monstrent occasionem medendi debitam, & subdividuntur in Universalia & Particularia. *Universalia* sunt, quibus totus morbus circumscribitur: v.g. Febris. Tempus *Particulare* est saltem certa morbi exasperatio, si e.g. febris paroxysmo terminatur. Consideremus Febrem continuam tertianam: hæc febris integra 4. habet Tempora, quia tentiâ die exacerbatur; Exacerbatio hæc habet Tempora particularia, ita ut in speciali paroxysmo 4. hæc Tempora attendenda sint. Hæc Tempora Morborum dependent à gradibus fermentationis & effervescentiæ in sanguine, quam & sequuntur omnia urgentia symptomata, vel imediatè vel mediate, & unde Coctionis signa materię morbificæ, seu præcipitatio fœcum morbosarũ in morbis salutaribus, cruditatis verò in lethalibus, se manifestant. Conf. *KERGERUS de Fermentat. Sect. 2. cap. 5. & Sect. 3. cap. 3. Est enim Coctio excrementorũ morbificorum per fermentationem in sanguine facta separatio*, vel *præcipitatio* instar fæcum vini, per fermentationem ex eo separatarum & præcipitatarũ: Quorum excrementorum separatorum pars à latice aquoso absorpta, & per ⊡m excreta, in fundo matulæ sedimentum exhibet, Coctionis factæ signum.

Jam *Principium Morbi dicitur istud*, ubi primò incipiunt affligere quædam symptomata, ita ut materia adhuc sit cruda. *Incrementum Morbi* dicitur, ubi symptomata graviora fiunt ob acutam effervescentiam sanguinis. *Status Morbi est*, si effervescentia sanguinis morbosa est in summo gradu, adeoque tunc urgent gravissima symptomata, ut morbi salubris perfecta signa Coctionis eveniant, non-salubris Cruditates nascantur. Cautè observet Medicus, ut

1. In tempore obveniat urgentibus symptomatis, &
2. Ratione horum Temporum morbosorum agnoscat occasionem & methodum applicandi medicamenta, & adjuvet naturam, si materia cocta, ut per convenientes vias evacuetur. Quamdiu enim materia cruda est, morbus est in principio: Conf. Dissertat. de Præcipit. Usu & Abusu c. 1. §. 1. & moveri non debet; Quia huic fundamento innititur crisis, quæ fit saltem in statu morbi. Nunquam eam turbare, sed potiùs adjuvare debet Medicus.

Res similiter se habet in morbo acuto Criticè finiendo, atque in paroxysmo febris intermittentis: quamdiu in hoc Rigor, horror, livor & pallor in unguibus urget, est in Principio paroxysmus; dum Calor graviùs urget, est Incrementum; ubi totum corpus ardet, caput acerbiùs dolet, somnus parcus est, vocatur status morbi; posthæc quando remittit, supervenit sudor, aliæque Evacuationes, quæ terminant paroxysmum, ubi etiam sedimentum ⊡æ copiosiùs apparet, nisi præcesserint Evacuationes aliæ. Sic & in Acuto morbo comparatum est. In febribus autem intermittentibus nonnunquã post statũ nulla coctio apparet in ⊡, ratio, quia jam per sudorem, qui fortè præcessit, Evacuatio facta est.

Hæc *Morborum Tempora* Regulam & Occasionem monstrant legitimæ Praxeos, ne turbemus naturam: *Aphorismus enim* 22. *HIPPOCRATIS Sect.* 1. *Cocta medicari oportet, non cruda*, &c non tantùm de purgantibus, sed quacunq; Evacuatione sensili, etiam per ⊡s aut sudores, est intelligendus. Uti enim natura in statu demum, per Coctionem & Præcipitationem, materiæ morbosæ factã, Criticas suas Evacuationes instituit; ita & Medicus circa principium & incrementum præcipitantibus imprimis, circa statum verò & finem sudoriferis, aliisvè Evacuantibus, insistere, sicque crisin negligere debet, aut potiùs prævenire. Hinc etiam fit, ut sæpè in principio, in cremento & statu morbi, generosiora remedia, vel sudorifera vel purgantia, frustrà, interdum non sine damno, adhibeantur, dum nondum separata & præcipitata seu cocta, sed omnia cruda sunt excrementa; quinimò in *ipsis febribus malignis sudorifera in principio sola sæpè sunt nociva*, nisi præcipitãtibus sint temperata; v. g. Theriaca vel spiritus theriacalis camphoratus, est periculosus; spiritu vero vitrioli & tartari temperatus, fit egregium specificum in Peracutis Paracelsi, seu Mistura simplex; hinc ℞ bezoardica. Sic si in statu propinamus opiata, non fit sine periculo ægri: Quod etiam in principio Morbi observandum.

Inter Res præter naturales supersunt adhuc *Symptomata*, quo nomine nihil aliud intelligitur, nisi *Accidentia morbosa*, quæ juxta *GALENU M* læsam partium constitutionem ex morbo, tanquam umbra suum Corpus, insequuntur: vel sunt Mutationes in corpore, quæ in & ex morbis oriuntur, adeoque à morbis saltem vel imediatè, vel mediatè, dependent. In specie autem *mutationes*, quæ sub Morborũ cursu sequuntur, sunt vel *primaria* vel *secundaria*, hinc & *symptomata sunt* vel *primaria* vel *secũdaria*. Sunt in triplici differentia, & quidem *primaria sunt:*

1. *Symptomata Actionum læsarum.*

Ad *secundaria* autem pertinet

2. Symptomatum Classis, nempè *symptomata* in *Excretis* & *Retentis*; ut &
3. Classis symptomatum in *Qualitatibus mutatis*.

Non enim nisi ex læsis Actionibus, speciatim digestionibus, & hinc vitiatis distributionibus, vitia in excretis, aut mutatæ corporis Qualitates, oriri possunt. Exemplis illustrabo: Symptomata Actionis læsæ sunt Fames Canina, item nimius alvi Fluxus. Quando sudor prodit, item Hæmorrhagia narium, est symptoma in Excretis. Symptomata in Retentis sunt suppressa menstrua, &c. Symptomata Qualitatis mutatæ sunt, quando rejiciuntur Viridia per alvum, flavus Ictericorum Color, fœtor alarum, &c. Symptomata Actionum læsarum, Ratione modorum, quibus lædi possunt, sunt in quadruplici differentia:

1. In *Actionibus abolitis*.
2. In *Actionibus imminutis*.
3. In *Actionibus auctis*.
4. In *Actionibus depravatis*.

V.g. ut maneam in terminis, symptoma Actionis abolitæ est digestio stomachi planè deficiens; Actionis imminutæ est digestio stomachi læsa; Digestio nimis confestim & repentè factæ est symptoma Actionis auctæ; Eadem digestio vitiata in cruditate acida & nidorosa est symptoma Actionis depravatæ.

CAP. III.

DE CAUSIS MORBORUM & SYMPTOMATUM.

Causa Morbi efficiens pag. 206. est vel

I. *Formalis*. p. 206. *Spiritus Impetum faciens*, si non semper, certè ut plurimùm attendendus.

1. Insitus in Mòrbo particulari.
2. Influus in Universali.
3. Uterque ratione mutui Consensus seu Conspirationis.

II. *Materialis* seu Occasionalis p. 206. quatenus sunt Res Corpus afficientes.

1. Fortuita p 206. Externa innuentia.
2. Necessaria p. 207. eaque res vel
   - (1) Naturales, speciatim Naturalis seu Seminalis Contentorum Crasis, & partium solidarum varia Constitutio, hinc Temperatura, Ætas, Sexus, Vitæ Genus, & in specie Idiosyncrasiæ. p. 207.
   - (2) Non-naturales 6. vulgò notæ: Aër, Cibus & Potus, Motus & Quies, Somnus & Vigiliæ, Excreta & Retenta, & Animi Pathematæ. p. 208. 217.
   - (3) Præternaturales, speciatim Humorum Vitia. p. 217.

Causæ naturales remotæ sunt vel

1. *Retenta Helmontii*, seu Digestionum varia Errata, speciatim primæ digestionis, & inde nata Morbosa p. 217. quæ digestionum Errata fiunt vitio vel
   - (1) Materiæ digerendæ plus minus vitiosæ p. 217.
   - (2) Fermenti digestivi in digestione p. 217. tàm
     - (α) publica, quàm
     - (β) privata.
   - (3) Excretionis, excrementivè
     - (α) relicti in Digestionis culina.
     - (β) transmutati
     - (γ) aliorsum transmissi.
2. *Recepta Helmontii*, Inspirata vitiosa, Contagia assumpta, Characteres hæreditarii.

Causarum Morbosarum, quæ morbosum reddunt corpus, sivè internè, sivè externè, jam attingendum est scrutinium. Circa *harum* considerationem *Differentiæ* earum probè *considerandæ* sunt

1. *Ratione Cohæsionis* cum effectu, *Causa Morbi* est vel *immediata* seu proxima, vel *mediata* seu remota.
2. *Ratione Coëxistentiæ* cum corpore patiente est vel *externa* vel *interna*; & utraque in ordine Cohæsionis Causarum cum effectu est.
3. Vel *Fortuita* seu *Causalis*, vel *Necessaria* seu *Naturalis*.
4. *Necessariæ* hæ sunt vel *Res Naturales*, vel *Non-Naturales*, vel *Præternaturales*. Res Naturales sunt Sanitas, Sanitatis Causa, & Functiones seu Facultates Naturales. Res Non-Naturales sunt notæ. Præternaturales sunt Morbus, Causa Morbi, & Symptomata, quæ inter eminent præsertim Contentorum seu humorum vitia. *Proxima Causa* interna *dividitur* porrò.
5. In *Efficientem formalem* & *materialem*. *Efficiens formalis* est *Spiritus* Impetum faciens, actionum ut sanarum, ita & morbosarum Autor, adeoque Causa proxima. *Efficiens materialis* est materia quædam vitiosa quocunque modo peccans, spiritum Impetum facientem irritans, & ad morbos provocans: *Stylo Helmontiano* Causa Occasionalis dicitur: v. g. in dolore dentis Causa efficiens omnium symptomatum est spiritus Impetum faciens, & cujus ratione pars sentit ac dolorem percipit; Materialis verò seu Occasionalis est Acidum, in radice dentis hærens, cujus scilicet occasione dolor excitatur.
6. *Materialis* hujus Causæ respectu est Causa porrò vel Remota & Proxima, Positiva & Privativa, quæ dividuntur in *Continentem* seu *Conjunctam*, vel *Antecedentem*, vel *Procatarcticam*, prout nempe plures mutuà consecutione tandem unam Causam materialem constituunt: vid. *MOEBII Instit. p. 90 & 91.* *Continens* est, quæ immediatè infert morbum, & proximè Morbo cohæret. *Antecedens* est, quæ corpus *plus minus* disponit ad hunc vel illum morbum: interdum primâ fronte latet. *Occasionalis* est, quæ movet Causam antecedentem, ut exinde Causa Continens emergat. Pono e. g. juvenem vini bibacem, qui ratione crebri haustus post nimium motũ incidit in pleuritidem: hîc in *pleuritide* Causa Continens est sanguis coagulatus, in pulmonibus & circa pleuram hærens: Causa antecedens est Acidum vinosum, successivè sanguinem disponens ad facilem sui coagulationem; Causa Occasionalis est haustus frigidus post nimium motum vel æstum, quæ movent Causam antecedentem, & infert pleuritidem. Consideremus porrò passionem nephriticam: Causa antecedens est orta in Renibus dispositio, tatione cujus renes dispositi sunt, ut facilè [illegible]m mutent; Occasionalis est usus Rerum nimis acidarum.

In specie jam Rerum illarum, quæ sub censum Causarum morbosarum veniunt, nocendi Rationes considerabimus. Has inter primò se offerunt, quæ vel secundùm immutabiles naturæ leges necessariò nobis obveniunt, ut easdem nequeamus effugere; quin semper tales concurrentes causæ ex naturalium corporum actione & passione corpus nostrum ita afficiant & alterent; vel *fortuitæ* & non-necessariæ, eæq; omnes externæ, fortuito casu & per violentiam nobis occurrentes. Necessario nobis obvenientes sunt 6. Res Non-Naturales. Fortuitæ verò, & quæ non necessariò nobis occurrunt, sunt varia, quę inter imprimis sunt ea, quę unitatẽ partium mutuam-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0224-7 DFG

tuamque coliæsionem tollunt, adeoque vel confundunt, vel vulnerant, vel erodunt, vel adurunt, &c.

Res hæ fortuitò ingruentes, & causæ, quæ violenter corpus lædunt, vi saltem externâ possunt lædere partes corporis nostri continentes & contentas. Jam hi Affectus ab his Causis fortuitis sunt parvi ponderis in se, licèt occasionem dent symptomatis gravioribus; Morbus autem per contusionem subjicitur Chirurgiæ Manuali, quæ opponitur Chirurgiæ Medicæ. Ab his læsionibus inferturin genere talis morbus, scilicèt læso sanguine & nutrimento proximo sequitur Acor præternaturalis, qui infert omnia symptomata his læsionibus supervenientia, unde tota Chirurgia Medica consistit in destructione talis Acoris, in parte læsa nati. *Quæ confundunt*, eâ occasione faciunt dislocationem pororũ & meatuum in parte contusa, & conterunt vasa capillaria loci contusi, hinc non potest non ob poros distortos impediri sanguinis motus, & consequitur suffusio sanguinis & ejus extravasatio, unde livor; sanguis extravasatus subitò moritur seu vitâ privatur, hinc in cadaverisato sanguine mox emergit Acor peregrinus, qui sanguinem in grùmos coagulat.

Omnes Contusiones & Vulnera spontaneo naturæ motu restituuntur & consolidantur, modò impedimenta removeantur, *quæ sunt Alimenti partis roridi & sanguinis effusi, ex spiritus vitalis dissipatione superinductæ in parte læsa alterationes*, & successivæ corruptiones & putredines, præsertim ab ♎e ambiente obortæ, quas inseparabiliter comitatur Acor vitiosus, ex ista corruptione natus.

Hic vitiosus *Acor* subitò omnem ludit Tragædiam, infert nempe dolorem, rodendo partes fibrosas nerveas, tumorem erysipelaceum, totusque spiritui vitali balsamico partisque conservativo prorsus hostilis, instar fermenti peregrini partem affectam, ejusque alimentum proximum, multifariè alterat, illudque in Pus ⊖ sum de natura alcalina, saniem & ichores, transmutat; Unde tandem, nisi Acor maturè temperetur, facilè *ulcera depascentia* emergunt, fermento hoc corruptivo acido in vulneris, & inde nati ulceris labiis alimentum proximum & sanguinem inficiente, & in liquamen sordidum seu ichores transmutante, continuò ulteriùs se multiplicante & serpente, cum copiosissimo vermiculorum proventu in omni pure obvio, & non nisi per microscopium cognoscendo. Quo magis fermentum hoc est excessivum, eò magis fit ulcus depascens. Sic puerpera hujus loci mammam ulcere affectam habuit, ubi admisso microscopio Chirurgus vermes observavit, quo in casu bufonum pulverem, & ☍ arsenici, adhibuit; quod ☍ fit per triplum nitri & liquationem in cella. In gangræna, ex lue Venerea proveniente, *HARTMANNUS* vermes (ut illi, qui in caseis reperiuntur) innumeros observavit.

Modò ergò vel præcaveatur, vel jam inducta subitò corrigatur, vitiosa ista aciditas per remedia, vel Balsamica dicta seu Vulneraria, Alcali temperato & oleoso constantia, (quod ipsum confirmat *HELMONTIUS*, & post eum *TACHENIUS in Hippocr. Chymico*, quod horum succus revivificet Mercurium) vel Metallica fixa, partim omne vitiosum Acidum successivè delentia, & sordes inde natas saponariâ virtute blandè abstergentia, partim ∽ nostros corroborantia, quascunq; recentes læsiones ac vulnera, citra suppurationem omnem, inflammationem & tumorem, facilè & tutò coire faciunt; siquidem & vulnera & ulcera omnia ac abscessus istis optimè mundificata, novâ carne facilè replentur.

Inter Res fortuitas externas occurrit etiam *Ambustio*. In omni igne est Acidum, quod confirmat experientia: vid. *TACCHENIUS*: nam △ est actus dissolutionis corporum sulphureorum; omne autem corpus ♎eum habet occultum Acidum Hoc præsupposito, ab omni subjecto igneo, præter motum celerrimum, quem △ infert, Acidum in igne se insinuat in partem, & subitò liquefacit nutrimentum partium roridum, unde emergunt pustulæ albę, quæ nihil aliud sunt, quàm nutrimentum partium roridum, ab Acido △ subtili mediante celerrimo motu, liquefactum: (ab Urinosis enim colliquefactum nutrimentum exhibet pustulas nigras) hinc modò removeatur hoc Acidum, & Ambustio facilè curatur.

Huc quoque pertinent *Veneficia*, quæ à dæmone oriuntur per *incantationem*, quæ sunt duplicia, vel realia, vel præstigiatoria. V. g. *Incantatio realis* est ligatura maritorum sub sacerdotali copula; item si quibusdam partibus introducuntur ulcera, contracturæ, atrophia, &c; Hæc sunt realia. Effectus præstigiatorii sunt varii, qui putantur, sed revera non sunt; e. g. quando indurantur panes, ut nullâ re possint discindi: Quo etiam pertinet **das Festemachen.** De Præstigiis nihil dicam, sed effectus reales evolvam. Dico autem, quod Satanas non possit præter naturam agere; soli enim Deo id competit: nec contrà naturam, aliàs hic destrueret ordinem à Deo institutum; mutabilitatem enim rerum naturalium Deus sibi reservavit. Quiquid igitur Satanas agit in incantationibus, fit per media naturalia, secundùm naturam.

Quæritur (1) quomodo operetur secundùm naturam? & (2) an talismodi à Satana producta possint per media naturalia dissolvi? Resp. Satan satis perspicax est in Operibus naturæ; imprimis utitur beneficio sagarum vel talium, quæ decrepitæ, vel constitutionis Melancholicæ sunt, adeoque maximam habeant imaginationem; hinc utitur Mediis naturalibus, sed abutitur imaginatione talium sagarum, mediante qua, tanquam directrice, Media naturalia dirigit ad subjectũ lædendum: vid. *HELMONTIUS de Magnet. Curat. Vulnerum*, *MARCUS MARCI Philosoph. Veterum Restit. Part. ultima*, *Scripta PARACELSI de Philosoph sagaci*, &c. Phantasia enim agit in distans, in mediis scilicèt naturalibus. Communiter quidem dicunt, Phantasiam non agere in distans, quod tamen falsum est.

Sequuntur has res fortuitas Res magis necessariæ, & quidem primò *Res naturales dictæ*, quæ disponunt corpora nostra ad morbos, quales sunt *Ætas*, ratione cujus v.g. juvenis magis dispositus est ad morbos acutos, quàm senex decrepitus; infantia prona in epilepsiam, unde juxta *HIPPOCRATEM Sect. 2 Aphor. 45. à comitiali morbo juvenes, potissimum mutatione ætatis & regionum & victuum liberationem accipiunt*: *Sexus*, dum sexus fœmineus ratione mensium deficientium proclivis est ad cachexias: *Temperamentũ*, primariò idiosyncrasia uniuscujusque hominis, sive hæc coñata sive adventitia fuerit. Ad illam pertinẽt ista omnia, quæ ratione constitutionis seminalis parentum hæreditario jure quibusdam eveniunt, quando e.g. varia abhorrent; Ad hanc verò pertinent, tam quæ ex consuetudine diuturnâ, & hinc successiva facta quarundam partiũ alteratione, eidem singularem dispositionẽ inducũt.

Prioris

Prioris ratione sunt aliqui, qui abhorrent varia. *AMATUS LUSITANUS* in Italia familiam dicit vivere, è qua nemo malum comedere potuerit; qualia exempla etiam *SCHENCKIUS* habet, ubi filii à caseo abhorruerunt uti pater, filiæ verò comederint, uti mater. Sic constat, Gravidas, si nimium aliquo cibo usæ fuerint, de hinc quoque infantes natos ab ejusmodi cibis abhorruisse. *SCHOTTUS in Physica Cur.* narrat de Gravida quadam, quæ genuit infantem, à pane abhorrentem, quia ex pudore non postulavit panem mater, quem in nuptiale convivium deportare viderat. *Posterioris ratione*, ex successiva spirituum & succorum alteratione, uxoribus quibusdam Ambræ & moschi Odore hysterica pathemata excitantur, quem tamen Virgines optimè ferre poterant. Exemplum ridiculum refert *SALMUTH* de carnificis Wittenbergensis servo, qui Pharmacopoli umingrediens, & fragrantiam simplicium diversorum & compositorum naribus percipiens, lipothymiam incurrit: cùm autem ministri Pharmacopæi accurrentes Odoriferis suavissimis eum reficere volunt, horum applicatione lipothymiæ intenduntur, donec casu accedens ipse carnifex illum ad cloacam deducit, sicque per odorem consuetum reficit. Sic non pauci ex terrore subitaneo epileptici redduntur, ita ut levi accidente terroris occasione paroxysmi redeunt. Idiosyncrasiæ hæ ratione subjecti variant, & nunc in sanguine, vel alio quodam contento naturali, nunc in solida quadam parte (id quod ferè ratione spiritus insiti accidit) radicaliter hærent.

Succedunt his *sex res non-Naturales*, quibus necessario corpus nostrum est expositum, ita dictæ ex eo, quod nec principia, nec causæ corporis nostri, ejusque partium, constitutivæ sint, nec tamen sint contra naturam, sed mediæ inter id, quod est præter naturam & secundùm naturam, pro vario earum statu & usu & neutro modo se habeant; legitimo scilicet usu corpus nostrum conservent sanum, perverso verò abusu illud ægrum reddant. Dicuntur autem potiùs *Res evidentes*, seu *Causa primitiva & externa*. Regimen harum Rerum dicitur *diæta*, adeoquè primariò quidem ad sanam vel ægram, non verò ad longam, vitam faciunt, minimè omnium autem vitam ad Annos 120. prorogant, sicuti Claudio Theodaro in Pantheo Hygiast. hoc placuit.

Nempe non immediatè nos eæ lædunt, sed mediantibus digestionibus corporis nostri vitiatis: unde prout hæ plus minus vitiantur, etiam Res non-naturales Causæ morborum plus minus fiunt, sive à rebus non-naturalibus digestio publica, sive nonnullarum partium digestio privata, lædatur. Hinc observant Chirurgi etiam, uno loco facilùs longè curari Vulnera, quàm alio: Ratio est in Atmosphæra, quatenus digestionem partis alicujus præ altera magis lædit, & ita consolidationem faciliorem vel difficiliorem reddit: v. g. quando radii ☉ares vel lunares vulneribus & ulceribus excepti, ea notabiliter in deterius alterant, vitiando scilicèt digestionem partis privatam.

Inter Res non-naturalis eminet Aër, quem non tantùm continuò inspiratu attrahimus, unde sanguini in pulmonibus permistus necessariò ejus statum insigniter alterat, & simul salivæ aut alimentis permistum ventriculo ingerimus; sed etiam, quia præter hancce substantiæ suæ nobiscum communicationem ulteriùs, quatenus nos ambit, variâ suâ temperie corpus nostrum insigniter afficit, dum ♃e frigido irritantur fibræ cutaneæ nerveæ, & spasmo quasi constringuntur; quibus constrictis pori firmiter constringuntur, & fiunt wie eine Gänsehaut/ unde insensibilis Transpiratio impeditur. Aër quidem ex se est corpus subtile admodum ac rarum, receptaculum aliorum corporum, per poros tamen intra corpus penetrare non potest, quia obstant intus in cute papillulæ. Summa autem hujus ad vitam est necessitas, ut in naturali statu nec ad quadrantem horæ eo carere possimus; ab inspiratione enim incipit Vita, & exspirando fit Finis. Necessarius scilicèt est pro volatili satione ac resolutione sanguinis in pulmonibus, tàm ad continuandam spirituum productionem, quàm ad promovendam excrementorum insensibilem evacuationem, idquè beneficio sui ⊖is volatilis quasi nitrosi, instar veri ⊖is universalis Hermetici, omnia coagulata dissolventis, & omnia fixa volutilisantis, mediante inspiratione nobis communicati. Sal enim hoc occultus vitæ cibus est, imò unicui fæcundator seminum & plantarum, vocaturque spiritus *mundi*, ⊖ *Hermeticum*, *Avicula Hermetis*, ⊖ *Philosophorum*, *Mercurius Philosophorum*, qui ♃i metallico fixo combinatus dat mysterium Philosophorum. De hoc intelligatur Tabula Hermetis. Præsentia hujus ⊖is comprobata videatur à *ROCHAS Gallo in scrutin. Aquarum metallicarum in Theatro Chymico T. 6.* qui meretur legi; *NOTSSEMENT de ⊖e Philosoph.* Dicitur ⊖ *universale*, quia in se est indeterminatum ratione matricum, cum omnibus corporibus assimilabile, & maximam cognationem habet cum Acido vitrioli & nitro, in quo est ⊖ universale concentratum, à seminio quodam nonnihil alteratum. Inquinatur ab effluviis ♃eis, hinc laboriosi sunt Chymici, ut ⊖ hoc possint capere, aut pro medicamento universali, aut huic proximo, variis nempe constituendis magnetibus pro cōcentratione magnetismi ♃ei alcalini, *quia sal istud accidula naturæ videtur.* Vocatur & Principium ⊖inum universale. Prout ergò sal hoc plus minus aërem impræguat, aut copiosiori effluviorum aqueorum miscela hebetatur, ut tempore pluvioso, hyberno, &c variat subinde aëris efficacia, & sanguinis perfectio, ac spirituū crasis.

Accedunt his multivaria exhalationes seu *effluvia plus minus fermentativa*, ex omnibus corporibus continuò exspirantia, & aërem largiter impræguantia: hæc ipsa enim, & inde mutatus Aër, Morborum epidemicorum & non-epidemicorum familiares Autores existunt, quamvis corpora nostra sæpè insensibiliter afficiant, uti ille, qui à præsentia felium abhorret, felis sibi ignotæ effluvia persentiscit, à quibus natura alteratur, & lipothymiæ inde sæpè oriuntur. De ejusmodi miasmatis seu effluviis noxiis, unde sæpè pestes aliique epidemici morbi oriuntur, vid. *KIRCHERUS in Tractatu de Peste*, ubi 6. potissimùm species recenset. Sic qui sub juglandis fruticibus vel taxi umbra acquiescunt, per ejusmodi effluvia afficiuntur narcosi ejusmodi, & sæpè lethalibus affectibus afficiuntur. Binis modis nos afficiunt, vel immediatè, quatenus inspirata sanguinem in fermentatione & crasi plus minus afficiunt, vel mediatè, quatenus prius alterant ⊖ universale ♃is, quod ipsum plus minus alteratum hebetatumque alterat sanguinis crasin. *Temporibus* præprimis *Cardinalibus*, ☉stitiis ac Æquinoctiis, & *imprimis Æquinoctio verno, hoc manifestum est, unde etiam hoc tempore* aër milleformibus *fermentantibus vegetabilium germinantium* & astrorum *effluviis infectus*, *massa sanguinea* fermentum quasi novum indit, eandemque *turgescere*, *& vehementiùs fermentare facit*: *unde quicquid hetero-*

erogenei & excrementitii in eadem reperitur, separatum foras; qua data porta, amandatur. Hinc etiam sæpè febres intermittentes, morbique cutanei, & similes affectus eo tempore frequentiores, & sæpiùs loco Medicinæ sunt: vid. *SCHOCKIUS Tractatu de Fermentatione,* ubi tradit; Fermentationem illam animalibus indere, ut coëant, &c. *Omnis enim varietas* ♎*is* duplici ex fonte, tàm in substantia quàm temperatura, *aut ex corporibus inferioribus,* terreis, & ibi contentis, *aut ex superioribus, astris* &c. *emanat. Aer matutinus Mense Majo maximè est salubris,* si tempore matutino in loco aperto largiter inspiretur; hoc ipso enim vis singularis pro vita inspiratur, ob ⊖ universale tunc efficacissimum: unde *DIGBAEUS de Vegetat. Plantarum* in Rore Majali ⊖ nitrosum asserit, quod vires habeat fœcundandi omnia Vegetabilia. Ex hujus Roris Majalis sedimento terreo varia animalcula, muscæ, papiliones, aliaquè, uti & plantæ variæ, succrescunt. Hyberno tempore possunt vegetari plantæ ex Martiali Rore & verna pluvia, si ♈ hoc Rore vel pluvia imbibita fuerit: hinc phthisicis suadent multi ejusmodi deambulationes intra mensem Martium & Majum circa Æquinoctium, ut balsamicum illum spiritum in ♎e existentem attrahant, & sic sibi auxilium concilient. Tempore canicularium dierum facilè putrescunt carnes, licet non adeò magnus æstus solis sit: hinc disuadentur purgationes altiores & fortiores. Autumnus dicitur Mortifer, ob varietatem nimiam ♎is hinc sæpè morbi chronici, scorbutus, quartana, malum hypochondriacum, aliaquè mala, exasperantur.

Quoad Astra, notum est, in quantum ♎em alterare, & sub ☽ria alia afficere soleant; hinc enim & Temporum ac Climatum & Regionum, & hinc Nationum, ista diversitas. Apparet hoc in Ostreis, cancris, aliisque, etiam radicibus, quæ pleniores sunt plenilunio vel crescente ☽, quàm illa decrescente. Multum verò in maniis, epilepsiis & apoplexiis videmus, ejusmodi affectus alterari, & modò imminui, modò augeri. In ecclipsibus modò deteriores modò mitiores redduntur morbi. *An* Astra *saltem per motum, & hujus variam modificationem mediante lumine; an veò etiam per effluvia corporea,* quæ ex se diffundant, *Aerem, & alia corpora sublunaria alterent? Res adhuc intricata est.* Posterius nonnulli affirmant, cùm Radii Astrorum sint materiales, & *solis radii nil aliud sint,* quàm *ignis subtilissimus,* quod confirmari potest ab iis, qui *radios solares in pulverem subtilissimum* fuscum vel *rubrum per* speculum ustorium, aut *certa instrumenta, concentrare* sciunt, de quo *DICBY* videatur *Tr. de Immortal. Animæ,* ubi de Luce *pag.* 62. item *MORHOFF de Transmutat. Metallorum pag.* 56. item *METSONERIUS de pulvere sympathet. Thesi* 3; aut *radios lunæ plenæ per speculum* quoddam *in materiam* maximè viscidam *lactescentem,* factu *frigidam, in spongia unire volunt,* ut Gallus quidam, *GUIDO de la Brusse,* refert *Tractatu de Vegetat. Plantarum.*

De radiis lunaribus quæritur; *An sint calidi, an frigidi?* Sunt qui asserunt, omnes esse frigidos, vid. *WEPFERUS de Apoplex. Subjecto p.* 260. *Ego autem puto, radios lunares esse calidos in infimo gradu.* Quis enim jure dubitet, quod aliud quid sint, *quàm radii solis reflexi?* Per experientiam autem constat, radios ☉is esse calidos: ergò & lunares erunt calidi, sed in minutissimo gradu, ut fervor eorum successivè remiserit. Confirmat hoc *SANCTUS SANCTORIUS in Commentar. in librum* 1. *Fen Avic. Quæst.* 11. *pag.* 108. & 486. quod per speculum radios lunares concentratos direxerit in Thermometrum, in ein Wetter-Glaß / unde successivè liquor in Thermometro contentus deorsum fuerit versus, da sey der liquor des Wetter-Glases deorsum descenderet, quod experimentum est dilatati ♎is per calorem.

Aliàs quæritur, *an ventres hyeme, an æstate, calidiores sint?* Lis est de lana caprina. Sensus enim testantur, quod æstate calidiores simus extra, quod pulsus etiam magnus, frequens & celer, ex fermentatione magis aucta probat; hyeme verò intrà & extrà magis frigeamus; quod etiam sitis approbat, quæ in æstate major: vid. *PLEMPIUS Fundament. Medicinæ,* qui de hoc prolixiùs. Quod enim in hyeme magis edamus quàm æstate, fit ab Acido, tàm corporis quàm stomachi, quod tempore hyberno acrius est: nam tempore æstivo luxuriat magis ⊖ urinosum in massa sanguinea.

Quod attinet globum ♒aqueum, hic semper effluvia mittit in ♎em; hinc diversæ sunt plagæ, dum effluvia hæc ratione regionis, vel marinæ vel montanæ, insigniter variant ♎em & hominum dispositiones. Minus ingeniosiores sunt homines, v. g. *Muscovitæ,* ob lacuum effluvia, ♎isque crassitiem: *Chinenses, Japonenses, Hispani,* &c. ingeniosiores sunt & alacriores: Nos in Germania mediocri tenemur in statu, ob ♎is constitutionem temperatam. In specie marina loca, uti *Daniæ,* &c. ubi ♒æ, stagna, aliaque oriuntur effluvia, nutriunt morbos endemios, chronicos scorbuticos, hypochondriacos, & ingenia eorum sunt torpidiora. In Montanis, ubi copiosæ sunt mineræ, ibi ♎is maxima est varietas. Instar omnium sic ♎is varietas post ♒æ motus, post quos sæpissimè pestem grassatam fuisse, observatum est. Ubi mineræ sunt, non omnes homines durare possunt; sulphurea effluvia noxia (ubi quoque ejusmodi montium incendia reperiuntur) obvia sunt. Loci enim comparatio multum facit ad constitutionem hominis, sicut etiam *OLEARIUS in Itiner. Persico* hominum exterorum morbos observavit pro variatione illorum locorum morbidorum. Videatur etiam *MANDELSLOH in Itinerario.* Optima loca sunt nonnihil montana mediterranea, quæ Orientem spectant. Obiter notetur, quod istiusmodi ♎ vitiosus corrigatur per ♎ & ☽, & pulverem pyrium, quæ sufficiunt pro medicatione aëris pestilentialis & epidemici. Aër ergò inspiratus nos non alterare non potest. Consuetudinis tamen ratio simul habenda: Aër enim turbidus, aut alio modo vitiosus, sui incolas propter consuetudinem minus lædit, peregrinos autem facilè afficit. Exemplum habet *SOLENANDER* de Stabulario febricitante, qui in conclave mundum & aëris purioris translatus pejus se habuit; in stabulum autem reportatus convaluit.

De Alimentis nunc agendum.

Quoad secundam Classem Rerum Non-Naturalium, *Cibum & Potum* seu *Alimenta,* de his verum est, quod hæc per abusum plures jugulent, quàm ensis. *Sanis omnia sunt sana, modò* sobriè & probè masticata assumantur, *stomachus* famelicus simul *appetat, & non abhorreat, quia fermentum digestivum potenter qualibet,* quæ distante appetitu ingeruntur, *in suaditionem trahit & coercet.* In specie tria considerandi veniunt circa victus rationem, & legitimum alimentorum assumendorum usum.

1. *Debita ciborum quantitas.*
2. *Debita eorum qualitas*; &
3. *Legitima utendi ratio.*

Hîc autem peccatur excessu & defectu, de quibus videatur *MOEBIUS.* Quantitatem & Qualitatem, sicut & assumendi modum in alimentis, solus præscribit appetitus, tàm in sanis quàm in ægris, cùm appetita facilè postmodum perficiantur & digerantur à stomachi fermento, sive appetantur adsueta sive insueta: Nam Appetitus est forma rerum assumendarum, quarum Qualitates determinat, nec fertur, nisi in ea, quæ stomacho sunt convenientia & grata; hinc quod sapit, nutrit: Quæ autem non appetit, illa etiam non facilè digerit, sed indigesta relinquit. Unde ægris non facilè est imprimendus cibus, quia, ubi appetitus abest, vel ex fermento vitiato, vel absentia, tunc cibi potiùs cadaveriantur & putrescunt in ventriculo. Contingit quidem, ut interdum homines sine appetitu accedentes mensam, denuò appetitum accipiant; sed hujusmodi homines plerumque laborant scorbuto vel malo hypochondriaco. Hinc sicut *ab Assuetis, licèt deterioribus, non facile recedendum*, dictitante *Hippocrate*, ita *insueta, si appetantur intensiùs, non facilè deneganda*, utpote cùm id dictitante naturâ contingat, ut ex alimento insueto appetito sæpiùs non solùm nullam noxam habeat, sed exinde non raro corpori remedium paret, cibiquè ante à minus appetiti consuetudine fieri nobis possunt amicabiliores.

Quantum in alimentis cujuscunque loci & regionis consuetudo valeat, notissimum est, ita ut, qui cibis solidioribus ordinariò fruuntur, delicatorum & molliorum usum ferre non possint; Vino autem vel ♈ adsueti, si potulenta hæc eis tenaciter nimis denegentur, morbos facilè incurrunt. Quo etiam pertinet, quæ de immoderato, innoxio tamen, opii usu *WIERUS l. 3. cap. 18* & *HOLLERIUS de Morborum Internor. Curat. l. 1. cap. 6. in Scholio*, habent: Consuetudo enim, sæpè alteram naturam constituit, adeò ut medicamenta & venena sæpè in nutrimentum convertat. Unde carbones & cineres, ac atramentum, aliaque apparenter nociva, etiam venenosa, non affligunt mulieres picâ laborantes: & quanquam mulieres gravidæ carnes crudas & solidas appetant, non tamen læduntur; Ratio, quia appropriatæ sunt fermento ventriculi, cujus acorem temperant: vid. *HELMONTIUS Tract. Victus Ratio.* Hunc brevibus his complectitur *HORNIUS in Arca Mosis pag.* 131. Diætam seu *Regimen legitimum alimentorum in duobus consistere*; *Sobrietate* & *probâ Masticatione. Quantitas non Qualitas, Ciborum nocet*, unde *HIPPOCRATES* inquit; *Sanitates esse studium, non satiari cibis*, id est, superesse debet famis aliqua portio; hinc Germani dicunt: Wann es am besten schmecket/ solle man auffhören: & meliùs est, in ciborum defectu quàm excessu peccare, quia mala inde pejora. Alii tamen aliis sunt salubriores, alterant nos saltem ratione digestionis primæ: adeò ut, quodcunque rectè digeritur, corpus sanum conservet, quod malè, corpus morbosum reddat.

Omnia ergò in cibo vel potu concedantur sanis & ægris, quæcunque vehementer appetunt; nec potus in siti est prohibendus; subiguntur enim à fermentis, nec nocent. Unde quando nos urget fames & sitis, edamus & bibamus, & quidem tantùm, quantum suffecerit ferè appetitui: *hinc non adeò rigorosi sint Medici in diæta præscribenda.* Sic in vulnere capitis, si appetunt ægri Vinum temperari potest lapillis cancrorum aliisque; sicuti econtrà vel caseus vel butyrum in iis, qui hæc abhorrent, non sine noxa sunt, & non raras cardialgias vel lipothymias inducunt; & jusculum carnis optimum, aut delicatus cibus, in stomacho febricitantis, qui illud abhorret, cadaverisatur & corrumpitur; halec verò assumptus, quia appetitus, non nocet, sed interdum ex insperato febrem contumacem & intermittentem, aut alium morbum, sanat: sic 1400. haleces mulier gravida comedit, qui non nocuerunt: vid. *TULPIUS in Observationib*: Unde sæpè conniveri potest Medicus ad Appetitum mulierum gravidarum. Hinc est, quod Rusticis consueta, duriora alimenta sine noxa sint, quæ delicatiores morbosos reddunt, & contrà: Ratio consistit in fermento ventriculi, & inde oriundo Appetitu, & *sic omne litigium de Qualitatibus Alimentorum est inane.* Subsalsum & subdulce est fermentum seu menstruum illud ventriculi fermentativum: si nimius ingurgitatur potus, acor ille pro fermentatione debilitatur: hinc si fermentum illud ⊖e volatili non satis impræg̃natum est, cibi etiam non ritè fermentantur, hinc crudus chylus ad sanguinem devehitur, unde sæpè coagulationes sanguinis, cruda ⊡, stranguria, &c.

Pertinet etiam ad Qualitatem ciborum nimia Varietas. Circa hanc varietatem hoc observandum, quod nempe sæpiùs in medicamentis & alimentis simplicibus major virtus reperiatur, quàm incompositis, quod etiam de cibis intelligendum; *Alimenta enim quò simpliciora, eò utiliora*: uti illi Medici optimi sunt, qui simplicioribus medicamentis curare norunt morbos. Varietas autem ciborum simul ingestorum ingentes introducit noxas, depravationes fermentationes, alterationes, &c. Quo major copia varietatis, eò noxior existit.

Ordo etiam Ciborum assumendorum nullus est, quia per fermentationem in stomacho omnia confunduntur, ut ima supremis & vice versâ misceantur; & quæ prius digeruntur, priùs etiam elabuntur è ventriculo: vid. *WALAEUS de Motu Sanguinis*, & *CHARLETON Exercit. 2.* qui de Cibo in ventriculo agunt, an chylus, antequam omninò perfectus factus, ventriculo elabatur?

An potus prius, an solida ingerenda prius? quæritur. Multi potum, præcipuè in *Anglia* præmittunt, quod verò consuetudini adscribendum. Meliùs videtur, si solida præmittantur, ut magis diluantur; econtrà si liquida præmittantur, fermentum diluitur, quod in cibos deinde agere non potest. Si verò præsupponatur, mucum ex cibis oblinire fermentum, quod in malo hypochondriaco vel scorbuto sæpè observatur, hoc in casu satiùs est in his morbis pro ablutione præmittere liquida. Legitima Utendi ratio consistit in Ciborum faciliori digestione, de quâ *suprà P. 1. cap. 5.* sufficienter egi.

Quoad *Corruptionem Alimentorum*, ea duplex est, vel *Rancor*, vel *Putredo*; quo etiam *Situs* pertinet. *Rancor* Vegetabilibus convenit, imprimis rebus sulphureo-pinguibus oleosis, quando occultatum eorum Acidum per dissolutionem misti sub putredine fit manifestius, unde talia Acriora percipiuntur; ubi simul in his copiosissima Putredo animata, per Rancorem subnata, observatur, unde in corpore nostro si oriuntur ver-

vermes, mirari non debemus. Sic in aceto sæpè reperiuntur vermiculi, præcipuè ubi corrumpi incipit. *Situm* quod attinet, consistit in aliquo Vegetatione, quia nihil aliud est, quàm herbula in re efflorescens & germinans, quod confirmat *HOCK in Micrographia*. Hæc in Genere.

In specie quorundam Alimentorum natura evolvenda est. Alimenta autem, quæ assumimus, sunt vel *solida*, vel *liquida* aut aquea. Liquida sunt ▽, secundùm naturæ dictamen: assumitur tamen à nobis ▽ medicata. Quod attinet *Alimenta solida*, desumuntur ex Vegetabilibus & Animalibus. Inter Vegetabilia eminent semina, Cerealia dicta, ut secale, hordeum, Oriza, milium, &c. quæ maximè nutritiva sunt, quia scatent pulpa lactea & quasi chylosa, unde ob talem oleositatem adeò nutritiva alimenta sunt, & omnia temperata. Medicamentosa sunt, quæ intemperata, & nos alterant: Hæc sunt vel acria, vel amara, vel fixa, vel volatilia; e. g. Aromatica, Absinthium, ruta, lavendula, majorana, origanum, serpillum, &c. Venena sunt intemperatissima. Purgantia sunt medium inter alimenta & medicamenta.

Alimenta per fermentationem resolvuntur in chylum, quâ mediante gummosa & viscida, temperata tamen, Vegetabilium nutrientium substantia, in specie cerealium, duo ⊖ia, Acidum & Alcali, (ratione quorum obtinent vim germinativam, & certo modo tractata fermentativam) in recessu habens, & cujus substantiæ gummosæ ratione ista nos nutriunt, in stomacho resolvitur in alimentitium succum, & per fermentationē disponitur ad promptiorem in sanguine volatilisationem, & ei assimilationem subeundam. Nempe quamplurima, si non omnia, Vegetabilia, imprimis semina cerealia, in se habent gummosam & viscidam substantiam, quæ in Vegetabilibus est Objectum, in quod operatur stomachi fermentum, & ex quo parat chylum nutritivum, tanquam quoddam Extractum. Apparet in omnibus decoctis Extractisque seminum & herbarum, itidem in succis fructuum, per humiditatis aquosæ exhalationem in spissatis; relinquunt enim massam crassam, viscidam & gummosam, plus minus copiosam. Substantia hæc Vegetabilium gummosa & mucilaginosa nutritiva, si addito quodam fermento, aut alio modo fermentando volatilisetur, mutatur in spiritum vinosum, formaliter distinctum ab eo, quod erat anteà, & ita non est ampliùs Objectum fermenti stomachalis, in quod operari debent; & ob id non est amplius nutritiva ut alimentum, sed est refocillativa spirituum; quatenus spirituosa. Sic v.g. secale, triticum, pomum, &c. sunt Vegetabilia, nutritioni destinata; sin verò per fermentationem legitimam volatilisentur, ut fit in cerevisiis, item vinis ex Vegetabilium succis paratis, potui inserviunt, non adeò diu in stomacho eorum vis maturatur, quin spirituosæ eorum partes raptæ in arterias in consortium spirituum assumuntur, & ita *Potulenta citius nos recreant Esculentis*. Sic ex succo uvarum per fermentationem obtinetur spiritus, insigniter non restaurans, sed parum nutrit; ast uvæ passæ citra succi expressionem exsiccatæ, & comestæ, egregiè nos nutriunt.

Substantiæ hujus nutritiæ fermentatio ut promoveatur in stomacho, arte prius extra corpus fermentantur, ut in panificio & cerevisiæ confectione. In Panificio quidē tota consistit ars in eo, ut semina cerealia excitentur in motum fermentativum, ut in stomacho facilius digeri, & promptè in chylum mutari possint. Farinæ additur fermentum & ▽ ad promovendum statum fermentativum, unde Acidum seminum occultatum dissolutum emergit, fermentando resolvi, & in spiritum volatilem volatilisari, incipit: sed in ulteriori progressu fermentatio nondum planè absoluta, exsiccatione & tostione in clibano solet impediri, ita ut non perfectus spiritus vinosus generetur, sed tantùm spiritus acidus volatilis (in recessu tamen duplicatur) in pane concentretur, facili igne per Retortam ex pane destillabilis: hinc omnis panis saporem plus minus acidulum habet, & ∿ acidus volatilis invenitur in eo, qui habet singularem vim dissolvendi reliqua assumpta alimenta, & instar menstrui alicujus Chymici corpora etiam fortia solvit. *Panis ergò* assumptus liquescens in cremorem propter fermentum susceptum herbas & cibos alios, quibuscū masticatur, simul faciliùs colliquescere cogit, & ita quasi quoddam fermentum est aliis cibis in adjumentum additum, salivæ beneficio in masticatione exsuscitādum: ob id *Panis rectè Theriaca Alimentorum* audit. Ratione etiam spiritus acidi volatilis, homogenei aliquomodo adeoque amici stomacho, ejusque fermento, nunquam Panis, continuè licet comesti, imprimis secalini, nos capit fastidium, quin potiùs masticatus, aut naribus applicatus, odor ejus susceptus debiliores valdè recreat, ac quibusdam vomitum imminentem & nauseam à medicamentis ingratis obortam, cohibet ob spiritum acidum, qui egregium etiam est stomachicum: & sicut ægrotantes ejus ultimò nos tædet, ita reconvalescentes primò ejus recuperamus Appetitum. Reliqua substantia panis est pars temperata, resoluta non nihil à nimia gummositate per fermentationem, quæ faciliùs in chylum abit. Ut ergò ex pane ritè fermentato tot habemus commoda, ita ex eodem vel planè non, vel non sufficienter, fermentato mille imminent incommoda, quia instar pastæ tenacissimæ maximum laborem facit fermento stomachi, tàm in dissolutione, quàm in fermentatione.

Denique substantia horum seminum cerealium præparatur ad faciliorem chylificationem per fermentationem etiam in Liquidis, e.g. in Cerevisiarum Coctura. *Cerevisia* enim est *Potus satis nutritivus*, qui paratur ex hordeo & lupulo, ubi duo consideranda:

1. Præparatio seminum.
2. Conditura per lupulum.

Præparatio consistit in Germinatione, Coctione & Fermentatione. Semina ut germinent, rigantur ▽, quibus ▽ se insinuat, gummosam substantiam dissolvit, hinc ⊖ia bina occultata in motum excitantur, unde Germinatio. Semina hæc germinantia, hoc est, occultè fermentantia, tostione ab ulteriore progressu inhibentur, ne ⊖ia planè avolent, nec suā activitatem perdant. Propterea torrentur, & postmodū aquâ coquuntur, sub qua coctione eorū intima substantia dissolvitur, quo, post cocturam cerevisiæ peractā, principia fermentativa non penitus exhausta novā fermentationem efficere queant, & ita in perfectā cerevisiam abeant: quâ factâ liquor, perfectè inflammabili spiritu præditus remanet, unà cū substantia gummosa nutritiva facillimè resolubili & fermentescibili, in qua ipsa, pro Acidi præmatura exaltatione impedienda, aromatico quasi Cōdimento, lupulo v.g. sale volatili oleoso impregnato, à corruptione præservatur: si enim cerevisia sine lupulo esset, per fermentationē promptè acesceret. Id autem ne fiat, impeditur per lupulum,

qui beneficio ⊖is aromatici volatilis activitatem Acidi nonnihil refrænat & temperat: unde quo magis pinguis est lupulus & amaricat, eò longiùs cerevisia conservatur.

Præmittitur autem his inchoata germinatio, ut eâ resolvantur viscidæ substantiæ compedes, & ita extricata ⊖ia post coctura meliùs fermentare queant, quia citra hanc germinaturam per coctura pasta saltem tenax, facilè mucescens (hoc est *in plantulas* & flocculos *progerminans*: vid. *HOCK Micrographia*) non verò liquor dulcis fermentescens, eliceretur. Cerevisia enim non ritè fermentata adeò est nociva, partim quia non ritè est defæcata, vel quia fermentatio ista demũ absolvenda in stomacho, quæ, quia fit cum eructatione Gas, maximæ turbulentiæ fiunt, & Potus tales in stomacho acescunt, mediante quo vitioso acore multa symptomata in stomacho excitantur.

Nunc considerandi veniunt *Fructus succulenti*, ut poma, pyra, cerasa, &c. quæ turgent succo maturo quidem, sed facilè fermentescibili, unde quidem suggerunt alimenta, sed minus copiosa; & propter impetum fermentativum in stomacho debili facilè possunt reluctari naturali digestioni, unde diarrhææ, cholera, febres intermittentes, &c. causantur; hinc non recentes, sed potiùs arefacti, usurpantur. Quia autem sunt succulenti, exinde fiunt Potulenta liquida, sub nomine Vinorum: quando e g. succus uvarum, pomorum, pyrorum, cerasorum, rubi idæi, &c. fermentando rediguntur in *Potum vinosum*. Ut enim Potus ex cerealibus seminibus sunt Cerevisiæ, ita iidem ex succis fructuum per simplicem fermentationem parati sunt Vina: quo etiam saccharum cum passulis, & mel adjecto Zingibere, vel caryophyllis pertinent, fermentationis medio, ab affusa ▽, Vina suppeditantia, ita ut ut per simplicem fermentationem ex fructibus succulentis fiant Potus vinosi.

His in Potibus vinosis duo sunt consideranda:

1. Substantia alcalica ♃ea, seu spiritus ♃eus volatilis inflammabilis.
2. Substantia acida.

Spiritus ♃eus est ∞ succi uvarum fermentando volatilisatum: constat enim spiritus vini ex occulto acido, subpingui tamen & ♃eo, quibus adhæret tantillum alcali; quæ omnia copiosâ ▽ sunt soluta. Hoc occultum Acidũ in V̇ quidam probare conantur, quod cum sale volatili ⊡æ, ritè per fermentationem parato, coaguletur in consistentiam crassam; putant enim, bina ⊖ia cum occulto Acido V̇ se mutuò amplecti & coagulari, & inde corpus quasi liquidum opacum constitui: Verùm errant; quia nulla hîc sit coagulatio propriè dicta, sed saltem pinguedo ex V̇ præcipitatur, & phlegma V̇ cum spiritu ⊡æ se statim conjungit. Spiritus vini hic ratione substantiæ ⊖ino-♃eæ, seu salis volatilis oleosi, vim narcoticam & nonnihil stupefactivam, acquirit, quia illi, uti & floribus multis, inest ♃ narcoticum, ratione cujus ex Vini fermentatione homines narcosi in cellis obruuntur, ut temulenti concidant: Unde opium solutum in V̇ nobiliorem vim habet narcoticam, quàm simpliciter adhibitum. Moderato autem usu V̇ confortat, quia præcedente facili alteratione spiritibus nostris vitalibus est assimilabilis; illegitimo verò & nimio usu lethiferum evadit venenum, ∼ animales turbat, & ♃e non assimilabili eosdem varios in motus confusos & inordinatos excitat, & instar opii aliorumque narcoticorum figit, unde stupor mentis oritur; cùm feducat ad lethargos lethales, apoplexias, & epilepsias; partibus quoque nervosis immoderato usu maximè noxius est, cùm reddat ∼ torpidos, & ad actiones debitas imbecilles & inertes.

Præter hunc spiritum in vino volatilem, ope fermentationis productum, spiritus animales ipsi quasi symbolizantes pro vatio usu diversimodè afficientem, Aciditas vini plus minus manifesta est attendenda: nam & Vina dulcia Acido suo non sunt spoliata, utut propter sociatum copiosum alcali pingue minus sensilis iste sit Acor. Quod ergò attinet *substantiam vini acidulam*, est illa quasi nucleus vini, quæ mox in lachryma vitis sub occulto Acido se manifestat, & per totum ejus cursum per ✠, tartarum, &c. semper ubique se manifestat, constituit Animam vitis & vini. Hoc acidum variæ est naturæ pro vinorum varietate, nunc volatilius in Vinis generosis, nunc fixius tartareum in vinis minus generosis, ut vina nostratia sunt: in Vino Rhenano est volatilius, volatilissimum in Vino Hispanico, cujus Acidi ratione oritur ejus usus pro vita salubri & non-salubri. Scilicet Vinum reverà est humanum nectar, & lac senum, in legitimo usu, dum ∼ ejus volatiles cum spiritibus nostris vitalibus symbolizantes, in eorum consortium recipiuntur, & Aciditas ejus volatilis stomacho est grata, ut post Acidum spirituosum panis simile non detur, unde vim stomachicam habet. *Acidum istud vinosum*, nisi probè sub digestione in primis viis corrigatur & alteratur, aut à bile in duodeno in ⊖sum volatile transmutetur (id quod fit in nimis copiosa & in ordinata ingestione, qua sub crudum adhuc per intestina ad reliquas partes distribuitur) mille malis sui Amatores mulctat. Aciditate enim volatili, extra stomachum toti corpori hostili, in intestinis Tormina colica, & exinde, si est volatilior, in Artubus Pareses, producit; in vesica Stranguriam, quod apparet, si V. in vesicam immittatur, unde punctiones illæ oriuntur, quæ in Stranguria, &c. in renibus sal ⊡æ volatile aliquali putredine resolutum in Calculum coagulat; in artubus synoviam in Tophos cogit, & partibus nervosis & membranosis Torturas Arthriticas; aliis in locis musculosis & fibrosis, corrugando fibras, partium contracturas & Paralyses contumaces, item Catarrhos, Apoplexiam, subinde etiam Epilepsiam inducit; cùm nihil æquè hostile sit nervis ac frigus & manifestum Acidum. Istud autem Acidum corrigere ac destruere possunt contraria marina, cancrina, coralliata, C.C. ustum, os sepiæ, &c. quæ attactu vini & aceti saporem alcalinum diureticum acquirunt, & per ⊡in educunt. Specialiter ad vini noxas abigendas conveniunt ∼ volatiles urinosi, ⊖♀ alcalisatum, ∼ tartari, & ⊖♀ volatile, quatenus Acidum vini nimium corrigunt, in ⊖sum transmutant, & sub forma copiosæ ⊡æ aut sudoris blandi evacuant: Tartarus enim & V. ex uno loco originem ducunt, unde habebant quasi symbolisationem radicalem, ut amicissimè se uniant, ob quam unionem fit, ut mala inducta corrigantur. Quæ dixi de Vino, etiam de cerevisiis, & reliquis Potulentis vinosis, quæ acescere possunt, intelligendum & applicandum: vid. *BECCHERI Physica Subterran. cap. de Fermentatione.*

Sicut in Vegetabilibus gummosa est substantia, quæ nutritionis nostræ subjectum seu materia est; ita in Animalibus esculentis eorum gelatina est, quæ nos nutrit & sustentat. In specie quod attinet *carnes*, aliasque ex animalibus desumptas partes, quo juniora & saniora sunt animalia, eò & earum usus salubrior; id quod & *in lacte* imprimis observan-

vandum, cujus bonitas ex bestiæ sanitate & pastura, quæ salubribus herbis nutritur, judicanda. Animalia enim, quæ pascuntur herbis salubribus, salubriorem habent carnem reliquis. *Lac* est depuratus quidam chylus, cujus alimonia non in sapore & odore consistit, sed in salubritate & vita longa; hæc enim lacti characterem imprimunt, unde lac asininum ob tempus longævum inter quadrupedantia solet commendari Phthisicis emaciatis. In genere vim habet nutriendi, & ratione partis butyrosæ, quæ *HELMONTIO* plantarum Magisterium dicitur, quamcunque corporis nostri acrimoniam, temperandi; unde contra scorbutum Suecorum est quasi panacea: contra ♈ nimium usum in Moscovia lactis haustus adhibetur. In sero lactis est egregium ☉ volatile, & refrigerium in febribus malignis, effervescentiam sanguinis compescit, & in scorbuto, atque ab hoc oriunda Cephalalgia, decantatissimum est. Aliàs lac facilè fermentat, facillimè acescit & corrumpitur, vermiculos genetat, & iisdem scatet; miasmata etiam varia facilè recipit tempore pestis: quando in ventriculo coagulatur, summè noxium est; cephalalgias enim, choleras, anxietatem, & alia mala inducit: vid. *HEINRICUS ab HEER*, & *AMATUS LUSITANUS*. Mediæ ætatis animalia, succo nutritio adhuc abundantia, & quo hic uberior, eò magis nutriunt: Variat enim hic succus pro varietate animalium, *cùm alia ratio sit animalium domesticorum*, alia *sylvestrium*. *Domestica* succo gaudent magis temperato, magis pingui & chyloso: ergò hæc plus nutriunt; *sylvestria* verò magis ⊖ino gaudent succo, & non adeò facilè sunt concoctibilia; domesticorum enim caro melior & delicatior est sylvestrium carne. *Inter ipsa animalia domestica est differentia*, & variant vel *ratione ætatis*; dum juniorum animalium, e. g. caro vitulina, est temperatior respectu bovinæ & adultorum; vel *ratione sexus* castrata præ cæteris conveniunt, quia fermentum testium inspiratum vehementiorem sanguinis fermentationem reddit; ita ut nutrimentum ⊖ sum & minus temperatum reddat, secus ac in castratis fit. Volatili copioso urinoso ⊖e omnes animalium partes largiter abundant, temperato tamen eodem aliis particulis subacidis oleosis seu pinguibus, unde copiosum nutritivum succum largiuntur: *Indurata verò fumo*, aut *condita copioso sale*, & difficilis digestionis, & pauci nutrimenti & intemperati, copiosique excrementi, esse solent. Nam ratione macerationis cum muria ⊖ volatile carnium ab Acido ⊖is communis imbibitur, & primaria sua substantia privatur, hinc duriora sunt & difficilioris digestionis; illæ verò jacturam patiuntur partium alcalium ⊖inarum ac ♃earum, magis salubres sunt, & certam vim medicamentosam à fumo obtinent, cujus ⊖ volatile acido-⊖sum imbibunt, quod ex parte resarcit jacturam ⊖is volatilis proprii. Crebrior usus carnium ⊖itarum & fumosarum ad affectus chronicos disponit, unde si his velimus uti, necesse est, addamus Acidum temperantia juscula, vel embammata, scilicèt ex nasturtio, ex cochlearia, raphano, sinapi, &c. cum aceto vel vino, & sacharo; hinc meliùs fermentantur. Caro venatica non est facilis digestionis, adeoque ad putrescendum aëri exponitur, ut eò faciliùs possit digeri, aliàs crebrior usus plerumque disponit ad Affectus Melancholicos. Inter omnes optima est *caro cervina*; tùm quia totus cervus est alexipharmacus, tùm propter faciliorem digestionis qualitatem in ea delitescentem, sanitatemque optimè conservantem: siquidem cervus ⊖e volatili copioso abundat, & est longævus ob optimum temperamentum.

Quod attinet *Motum*, hic est summum Vigiliarũ exercitiũ, & reverà, tanquam res Medica multùm valet. Et quidẽ Motus Naturalis debitus promovet

1. Motum omnium corporis contentorum, tàm intestinum, quàm fermentativum, & sanguinem tenuiorem ac fluidiorem reddit.
2. Promovet robur partium continentium; unde cùm corpus nostrum est machina hydraulico-pneumatica, multum valet.

Nam moderato motu artuum musculi fiunt firmiores, dum crebrior spirituum & humorum fit distributio, & magis nutriuntur; hinc quoque ad fibrarum tenacitatem moderatus Motus facit. Præterea, ut Alimentum massæ sanguineæ restaurationi & corporis nutritioni, ita moderatus motus intestinus ejusdem Assimilationi & Purificationi inserviunt; adeoquè dum circulationem, & inde vitalem ejus fermentationem, adjuvat & auget, etiam simul alimentorum ipsi assimilationem, per universum corpus distributionem, & partium heterogenearum per fermentationem separationem ac præcipitationẽ promovet, & per consequens succorum alterationem; quæ à seroso latice absorptæ, nunc per ⊡m sub nubeculæ seu levis sedimenti forma, nunc per poros cutis insensibiliter transpirando, excernuntur: unde sequitur, quod Motus corporis quascunque fermentationes mirè promoveat; *chylificatio enim sanguificatio, & depuratio sanguinis, ut & assimilatio, per motum fiunt*. Notum enim est, quod motu corporis semper fiat rapidior sanguinis motus, hic autem promoveat omnes excernendorum, secum, &c. excretiones, & id fieri aliter non potest. Dein promovet motum sanguinis localem in loci distributionem; motu enim corporis musculi nunc laxantur, nunc stringuntur, nunc deprimuntur, nunc attolluntur, hinc excretio fecum fit. Ex his infero, *Motum corporis esse succedaneum omnis Medicinæ*, ita ut, qui debito gaudeat motu, cæteris paribus sint sani, & *in specie sit Medicus omnium morborum chronicorum præservando curandoque, vicarius nempe omnis venæsectionis, purgationis, alteriusque sanguinis correctionis*; quod rusticorum & mechanicorum gens palam testatur, & mulier ista cachectica, cujus *PANAROLLUS* mentionem facit *in Observat. Pentec. 1. Observat. 30.* confirmat. Cùm enim fundamentum omnium morborum consistat in digestione prima plus minus læsa, his motu possumus succurrere: nam cùm ex mala digestione & excernendis p. n. retentis Chronici morbi fiant, sequitur per impeditum Motum hos impediri etiam. Multum etiam Veteres tribuerunt Motui, hinc artes gymnasticas instituerunt, de quibus scripsit *MERCURIALIS* elegantem *Tractatum*. Hæc tamen de motu moderato intelligenda veniunt, cujus moderamen consistit in eo, ut tunc sufficiat motus, quando membra æqualiter calent, & aliqualiter madent, turgere, & aliquo modo rubescere incipiunt. Distinguendum autem inter vitę genus plus minus laboriosum, & habebimus consuetudinis rationem, ex qua diversi effectus deprehenduntur; ita quidem, ut rustici & durioribus laboribus aliàs dediti, à vita sendentaria paucorum etiam dierum mox quasdam molestias & morbos incurrant, Herculeos autem labores optimè ferant: otiosi econtrà ex levissima corporis agitatione, & lassitudine summa, mox graventur, & de dolore ferè ostocopo conquerantur. Motus hic convenit di-

midiâ horâ ante pastum, seu post peractā digestionē, ut distributio chyli facilitetur & adjuvetur, & massa sanguinea purificetur per insensibilē transpirationē: *à pastu statim non conducit*, quia impeditur digestio prima, & cruditates causantur: simul quoque ad tēpus anni attendendum, an hyems adsit? ubi sudor difficiliùs erumpit. Motus verò non sit nimius, quia hac ratione aliàs etiam sanguis nimis agitatur, ∽ dissipantur & excernuntur unà cum sudore & excrementis; hinc post nimium motum sensuum debilitas, artuum languor, & virium defectus, oriuntur. In æstate igitur pro condensatione aliqua sanguinis conveniunt Acida moderata, ⚹ hepaticus ruber ex spiritu vitrioli vel nitri, aliisque Acidis, unde ∽ non dissipentur.

Quod attinet Quietem, moderata illa confert ad punctum nutritionis & assimilationis, resocillat corpus, rore nutritivo illud perfundendo; hinc ex quiete & sedentaria vita oritur corpulentia & pinguedo insolita. Videre licet hoc in Rusticis & Mechanicis, qui laboribus defatigati somno recreantur. *Summus enim Quietis gradus est somnus*, in quo consuetudo multum valet: nam qui certis quibusdam horis dormire adsuescunt, circa idem tempus ∽ animales quieti mox indulgent, quo elapso, dormire non possunt; sicut econtrà certis quoque horis expergiscimur. Somnus aliàs & Vigiliæ, si modum excesserint, mala sunt.

Quæritur de *Somno Meridiano, an salubris sit, nec ne?* Lis est de lana caprina: consuetudo potiùs, quàm rigerosæ Medicorum leges, in consilium vocanda. In adsuetis enim, vel iis, qui parum noctu dormiunt, vel in senibus, vel corpus studiis macerantibus, saluberrimus est, modò fiat sedendo, non jacendo, ut eò melior fiat digestio: si enim jacent, non adeò convenienter fit digestio. In locis calidioribus etiam somnus ille Meridianus absque noxa peragitur, v.g. in Persia, Romæ, &c. *Cubitum abeuntes potiùs & meliùs in latus sinistrum inclinare possunt*, quia chylus crudus non ita facilè elabi potest ex ventriculo, præcipuè ubi potus nimius ingurgitatus: vid. *SCHENCKIUS in Exercit. Anatomicis. Nimius tamen somnus fugiendus est*, quia nimio somno impeditur legitima alimentorum fermentatio, unde chylus non ritè elaboratur, corpus minus purificatur; & cruditates coacervantur, actionumque corporis lassitudo sequitur, & sic quiete nimiâ morbi chronici oriuntur. *Longiori somno possunt indulgere Cholerici & Sanguinei* dicti, ut ∽ eò meliùs recolligi possint, qui nimirum illis vigilantibus dissipantur; Phlegmatici econtrà parciùs somnum celebrent.

Vigiliæ sunt omnium sensuum exercitium: nimiæ sequuntur immoderatos spirituum motus & agitationes, v. g. à vunere, ubi ∽ afficiuntur, quos somnifera seu opiata figunt & ipsorum motum cohibent: Unde testudo & Musica somnum inducunt, quatenus ∽ & sensus avocantur à motu inordinato seu intentiori; & sic somnum inducunt. Vigilias nimias sequitur corporis debilitas & labefactatio virium, ubi plantis pedum applicantur folia rutæ cum sale, raphano, fermento & aceto acerrimo in Cataplasma redacta. Ex nimia autem narcosi spirituum, oritur *somnus nimius*, præsertim ex nimio opii usu. In diarrhæa, cholera, dysenteria, aliisque morbis acutis, præprimis malignis, hæmorrhagiis, hypercatharsibus, &c. si inducatur somnus, magnum est commodum; hoc enim illæ excretiones sedantur. In singulis igitur opiata bona sunt, si modò recto tempore adhibeantur: in morbis acutis et malignis valdè prosunt, modò vires adhuc constent. Oportunè itaque suadet *BALLONIUS in Consiliis*, & dicit; *nec in principio nec in statu conducere, sed in incremento.* Nam ubi instante crisi opiata applicare aliquis conatur, naturæ negotium impediet, unde morbi sæpè chronici, pedum gravamina aliaque mala: sicut & in deliriis, melancholiis, phrenitide & maniis, somni spontanei conducunt; per opiata autem inducti magis nocent quàm prosunt, & sæpè in lethargos nocivos abeunt. In *diarrhæis cum Theriaca laudanum opiatum* est *miscendum*; in *cholera datur laudanum opiatum cum Bezoardico Joviali & Antimonio diaphoretico.* Observandum tamen, ne somnus nimius iis, qui cerebrum habent frigidum, inducatur.

Quoad *Excreta & Retenta*, talia excernenda sunt quadruplicia: nempè

1. *Excrementa*, quæ rejiciuntur per alvum, remanentia ex digestione prima.
2. Quæ rejiciuntur per *vesicam*.
3. Quæ *transpirant* per corpus sensibiliter & insensibiliter.
4. Quæ foras rejiciuntur per *Genitalia*: Quo etiam pertinent *Menses*.

Hæc inter primum locum tenent excrementa alvi, ubi ex chylo, post fermentationem blandam in duodeno, à bile & succo pancreatico sequitur separatio & præcipitatio partium crassiorum seu excrementorum. Sicut ergò inutilium rejectione corpus salubre redditur, utilium verò rejectione semper debilitatur; ita quando excrementa retinentur, corpus impurum reddunt cephalalgias, aliaque vertiginosa mala & incommoditates pariunt, simulq; functiones animales turbant: hinc alvus necessariò quotidiè aperta sit, ut scoriæ digestionis primæ legitimè excernantur. Hæc excrementa si diutius persistant circa colon, indurantur & atræ redduntur, hinc oritur passio iliaca seu Miserere Mei, & tandem excrementorum vomitiones, quo in malo ♀ crudus ad ℞ß vel ℞j propinatur. Aliàs indurata excrementa per clysteres ex oleo rutæ cum tantillo nitri, vel ex oleo lini, interdum oleo amygdalarum dulcium, cum sale gemmæ educuntur. Consuetudo tamen, uti in omnibus rebus nonnaturalibus, ita & hîc, observanda: qui enim horis matutinis, postquam è lecto exsurrexerunt, per aliquot saltem dies alvum successivè deponere solent, eodem ferè postmodum momento stimulum fœcū persentiscunt; quo vero neglecto, per totum diem excrementa retinent: sicut quoque quidam per consuetudinem alvi obstructioni diuturnæ & innoxiæ obnoxii sunt, quorum exempla videbitis apud *AGRICOLAM in Chirurg. parva pag.* 21. & *SALMUTH. C.6. Observat.* 65.

Hæ res sordidæ ♁eo-salinæ multum in recessu habent; ob *luxurians enim sulphur cum alcali volatili fœtor talis exoritur*, unde pro usu Medico multum valent. *PARACELSUS* vocat Zibetum Occidentale, quo nomine alii circa testes hærentem pinguedinem insigniunt; item sulphur Occidentale, quia corpus ♁i maximè simile per spagyriam inde elicitur. Imprimis *recrementa humana quibuscunque inflammationibus applicata* prosunt, vim anodynam & maturativam ad apostemata, abscessus, bubones pestilentiales, carbunculos, &c. obtinent. Habent etiam vim alexipharmacam: vid. *ZACUTUS LUSITANUS l.3 Observat.89 POPPIUS Tractatu de Peste, & RIVERIUS Observat.* 38.

38. *à Fonzio communic.* commendant stercus humanum cum urina propria dilutum & haustum, unde vomitus, hinc salus, secuta. In India Occidentali serpentum est genus, *Garit* nominatum, quorum morsus necessariò lethalis solo stercore ægri imposito curatur: vid. *SAAR* in Ost-Indischen Kriegs-Diensten. In angina ♃ stercoris proprii laudatur. *PETRAEUS* laudat in angina & pleuritide propter ⊖, quod illi inest, qui videri potest; plura enim de ejusmodi stercoribus habet. Contra Incantationes singulare est; subinde enim vi incantatrice dolores maximi excitantur, ut ex tumorum apertione vitra &c. exeant: contra has stercus humanum calidè impositum est mirabile in cura: vid. *RULANDUS in Pharmac. Stercoraria.* Primum infantis excrementum sumptum & pulverisatum, & pueris successivè exhibitum, præservat ab epilepsia. Fæces hæ destillatæ dant ▽m subtilem contra albugines & ungues oculorum. Valdè aliàs commendantur stercora reliquorum animalium ob ⊖ suum volatile & nitrosum; hinc in Colica, uti & pleuritide maligna succus seu pulvis stercoris equini cum succo aut ▽ papaveris erratici, & à *JOELE* in passione hysterica, valdè commendatur; item stercus gallinarum, cum oleo chamomillæ externè impositum, est admirabile: In Variolis puerorum, præcipuè ubi internæ exulcerationes oriantur, *stercoris equini succus* in potu aliquo propinatur: vid *HARTMANNUS, RIVERIUS, & PANAROLLUS Centur. 3. Observat. 37.* In Colica stercus *lupinum* in Clysteribus commendant, quod internè ad ℥j sumitur; uti & cattorum stercus conducere dicunt: Epilepsiâ laborantibus mirificè opitulatur: vid. *BORELLUS Centur. 3. Observat. 15.* contra vertiginem infunditur in vino albo, digeritur & exprimitur. *Album Græcum* in Angina, Colica & Dysenteria valet, quod *SENNERTUS & MICHAELIS* tanquam summum vulnerarium in vulneribus intestinorum, & exulcerationibus eorundem, commendant. *Ex stercore anserum* juniorum Maximilianus Imperator destillavit ▽m egregiam ophthalmicam: prodest quoque stercus hoc in ictero flavo & nigro.

Quod attinent *Excreta per vesicam*, ex hac ⊡ provenit, quæ ritè excreta ad sanitatem multùm confert: est enim instar lixivii, purificantis massam sanguineam in primis viis à sordibus. Ex ejus retentione, vel obstructione à calculo, aliaque causa, oriuntur lethargi, aliaque mala: retenta ultra 11. ♂ lethale ferè est, quod etiam testentur Observationes; ultra 15. ♂♀ sine periculo mortis, non potest retineri, rarò ultra 17. vel 18, quia turbatur motus sanguinis fermentativus; Urina enim retenta reliquos succos turbat, & saporem lixivialem iis infert. Observavi tamen ⊡m 17. ♂♀ suppressam, quæ die decima octava venit cum epilepsia levi. Plura quoque exempla Ischuriarum ultra 17. & plures ♂♀ non lethalium videbitis in *M. A. N. C. Ann. 2. Obs. 30. & 176; Ann. 3. Obs. 39. ex Schenckio, Ann. 6. & 7. Obs. 112, Ann. 9. & 10. Obs. 78. p. 209.* Ipsa etiam ⊡ pro usu Medico multum valet. In Peste ⊡ propria pota conducit: in morsu viperæ haustum ⊡æ *ZACUTUS LUSITANUS* commendat: in partu difficili ⊡ patris hausta, & bis continuata conducere dicitur, uti etiam *HARTMANNUS* id annotavit.

Insensibilis *Transpiratio & sensibilis Transsudatio* multum etiam valet; differunt ut majus & minus. Nunquam sponte profluit sudor, si corpus rectè se habet. Est verò pars sanguinis serosa, quæ imbibit ⊖ia volatilia, totam massam sanguineam purificat, & partes solidas, omnesquè cutis sordes visuâ abstersivâ instar saponis abluit & abstergit. hinc præservat ab affectibus cutaneis: suppressa infert cephalalgias & febres: notum enim est, quod in genere inter causas universas febrium referatur pororum cutis constipatio, unde effluvia retenta turbant sanguinem: hinc ad febrim artificialem faciendam, commendatur litus ex pinguedinibus poros occludens; & nulla febris perfectè curari potest, nisi subsequatur sudor. Nil usitatius est, quàm quod, si homo ex loco calido frigidum accedat, & sic sudor retineatur, ut sequantur pleuritides, peripneumoniæ & febres intermittentes, sanguinem coagulando; ad cujus solutionem faciunt bellis, sanguis hirci, dens apri, equi marini, vel lucii: sub cute verò retentus, si putrescit, in tumores aut pustulas elevatur; sicut etiam per indusia sudore maculata, ac putrefactioni exposita, producere possumus pediculos copiosissimos: Nimis autem aucta Transpiratio & Transudatio cum spirituum animalium & vitalium dispendio conjuncta est, & emaciat. Aliàs materia sudoris & ⊡æ est una eademquè, unde quo apertiores pori, eò minus minguimus, quod in æstate imprimis apparet, & contrà; & isti Affectus, qui curantur per sudores, omnes ferè curari possunt per ⊡n & contrà: quando bibimus potum frigidum, eò copiosiores sudores habemus. Ejusdem naturæ est halitus oris, qui ex fermentatione sanguinis in præcordiis oritur: Hic retentus, Anxietates Melancholicas circa præcordia parit. Est duplex; vel halitus perse, vel vapor. Halitus oculis prosunt pro detersione, quia sunt ⊖ti aliquomodo; unde mulieres semen fœniculi manducant pro depuratione oculorum infantum, & sic adspirant leniter infantum oculis, morbosè affectis. Propter halitum, interdum nimis acidum, Chirurgi in vulnerum medela non admittunt mulieres menstruatas: nam inde deteriora fiunt Scorbutici, etiam, ubi communis, ut in Anglia & Suecia, per halitum & oscula transferri solet. Huc refero *excrementa narium*, quæ etiam, cùm sint lympha spissior & crassior, legitimè debent excerni; Ude symptomata ab ejus obstructione his excretis brevi tempore levantur, & odor meliùs percipitur: econtrà retenta aggravant, ulcera interdum inducunt narium, in catarrhis præsertim, & lue Venerea propter nimiam aciditatem in lympha latitantem.

Sequitur *Veneris Usus*, qui immoderatus mirè debilitat, functiones animales valde lædit ob spirituum animalium excretionem, & corpus emaciat ob absumptum rorem nutritivum; Retenta autem nimis turbat corpus, mulieres ad furorem uterinum & picam disponit, viros reddit segnes, minus promptos. Moderata meritò commendatur Melancholicis, ut spirituum vigor excitetur: unde Poëtæ, quia sunt profundioris ingenii, ac propterea Melancholici, Veneris usu modico magis excitantur, & meliora carmina fingunt. Huc & mulierum *Menstrua* pertinent, quæ sunt flos virginum, & legitimâ excretione corpus sanum conservant; retenta verò contrà: sicuti etiam mulieres ex eorum retentione dolores gravativos circa lumbos & femora, aliaquè hinc emergentia mala, sentiunt.

Ut ergò excrementorum excretio aut retentio varia non infimum locum, inter morborum causas retinet; ita & locus in specie, ubi fit excernendorum ejectio, non semper negligendus est, quin aliàs corpus valdè læditur, in quo demonstrando operosus fuit *BOULTON*, D. *Anglus, in sua Medicina Magico-Physica*, dum asserit; Omnia nostri corporis ex-

excrementa participare nonnihil de spiritu ejus vitali, & hoc mediante mutuam inter se retinere sympathiam, adeò ut per foricas publicas super ▽m, & matulas communes, morbi contagiosi communicentur, propter putridam, & contagiosam fermentationem. Contrà, si in cāpis suprà herbas fortè salubres, vulnerarias, &c. ⊡ aliaquè excrementa excernantur, sanitatem per occultam sympathiam firmari, in specie, si ⊡ excernatur super cineres fraxini, stranguriam tolli; si verò noxias in herbas & venenosas, purgantes, aut exulcerandi viv præditas, &c emittantur, parilem corporis noxam & vesicæ exulcerationem præstò esse, & vix curabilem, priùs quam herbæ prorsus putredine fuerint consumptæ. Notum magis est, quod, si quis inlatrinas dysentericorum, aliovè morbo correptorum, sua, dum ista adhuc calent, exoneraverit excrementa, ab effluviis adhuc calentibus simili paulò post morbo inficiatur. Eodem quoque modo comparatum esse cum urinæ effusione in matulas eorum, qui latentem fovent morbum, seu nephriticum sive alium, quem pariter contrahi inde posse, metuendum esse. Addit & hoc, quod pueri in prunas sæpiùs mingentes Nephritici evaserint; alii verò exulcerationibus molestari cæperint, lotio in venenosas herbas excreto; sicuti dolor & ardor ani inducitur, si cineres calidi, aliavè res acres exulcerantes, in ejus excrementa calida injiciantur. Vid. *DIGBY in Tractatu de Pulvere sympathetico*, qui ejusmodi plura habet, quæ circa excrementa notari possunt, ubi scilicèt ex combustione excrementorum exulcerationes ani, aliæquè ex aliis cum stercore operationes secutæ sunt. Qui sudant in lecto immundo, vel jacent in eo, facilè affectibus cutaneis, ulceribus, lue Venerea, &c. afficiuntur: etiam interdum ii, qui modò in tali lectulo jacent, quamvis non sudent faciliùs tamen ii corripiuntur, qui sudant. Quæ ipsa autem non esse penitus absona, alia in natura obvia confirmant exempla: ut nihil jam dicam de pulvere sympathetico sanguinem, cujus guttas excepit, sistente. Notum tamen est, quod mammæ mulierum, ex quibus in prunas candentes lac excretum, sterilescant; quod linteum, sanguine ex utero effluente tinctum, sub cineribus calidis sepultum, sanguinem sistat. Porrò si emittatur stercus super ♡ vitrioli, contumax intestinorum fit contractio; dysentericorum verò, & omnia sanguinolenta & purulenta corporis excreta, super vitrioli ♡ rejecta, hinc curantur: quod etiam de Mictu cruento valet; item in ulcere vesicæ, si ⊡ excernatur supra hunc pulverem. Alii coquunt ⊡m ægri cum carne suilla, vel alia, aliquoties, & tradunt cani ad devorandum, sic convalescit citò æger, cane utplurimum moriente. De Transplantatione morborum per excreta infrà plura dicam.

Animi denique motus seu *Affectus considerentur*, qui nobis communes sunt cum brutis, valdopere nos alterant, morborumquè sæpè atrocium fiunt Autores, quatenus diversimodè sub iisdem spiritus & humores agitantur & commoventur. *Formaliter* autem *consistunt in subitaneo & inordinato spirituum animalium impetu & influxu in cerebro & cerebello, & exin ad partes corporis intimas*, ad hepar, intestina, &c. unde in talibus animi affectibus semper pulsus variat, quatenus motus cordis à spiritibus irruentibus variat & mutatur. Ab hoc spirituum impetu & partium internarum motione omnes isti affectus oriuntur. Hinc est, quod affectus graviores repentini, Ira nempe & Gaudium, &c. quoscunque motus spirituum & humorum insigniter exasperent, eorumque excretiones promoveant, hinc sæpissimè sequi solent febres periculosæ, vid. *ZACUTUS LUSITANUS l. 4. Histor. 5.* balbuties linguæ, graves & noxiæ hæmorrhagiæ, diarrhææ & dysenteriæ, dolor Colicus, Morbus Iliacus, convulsiones & mors, vid. *PLATER. in Observ. 35. TULPIUS, & LINDANUS Centur. 1. Epist. 1.* Oriuntur quoque extra affectus podagrici, hinc dicitur; quod pater sit Bacchus, ♀ mater, Ira obstetrix podagræ: Epilepsiæ etiam obnoxios reddit homines, vid. *GABELCHOVERUS Centur. 4. Curat. 59.* Et notum est, quàm facilè graviores animi passiones gravidarum abortum inducant, vid. *TULPIUS l. 2. Observationum*; vel vitioso charactere infantes notent; non secus ac ex ira vel terrore nutricum infantes epilepsiâ facilè afficiuntur: Nutriens si terretur, & mammam catello præbet, catellus brevi post epilepsiâ gravissimâ corripitur, quæ curatur per Theriacam. Nil magis in pueris Epilepsiam excitat, quàm *Terror*. Mortem ex animi commotione observavit *BARTHOLINUS Histor. Anatom. Centur. 3. Observat. 79.* Venena animalium ex perturbationibus spirituum oriri, Ira nempe, Terrore, Furore, &c. passim inculcant moderni, speciatim *HELMONTIUS in suis scriptis*, in specie *Tractatu Potestas Medicam* §. 29. *pag* 382. *MARCUS MARCI*, *ZWELFFERUS in Animadversionibus*; adeò ut etiam hominis irati morsus non minus malignus & subinde lethalis sit, quàm viperæ, teste *ZACUTO LUSITANO l. 3. Praxeos Admir. Observat. 84.* & *PANAROLLO Pentec. 2. Observat. 42.* id quod de aliis animalibus verum est, cùm Autore *CELSO omnis Feræ morsus habeat quoddam virus*, idquè ex affectu vehementiore, quo tunc percita est bestia. Rapidiores enim affectus ⊖ volatile oleosum bilis excitant; tardiores autem v. g. Terror, Tremor & Pavor, spirituum & humorum motus supprimunt, excretionesque quasvis sistunt, & sic per diuturnos hos affectus Acidum augetur. Ex *nimio gaudio* quosdam mortuos esse, vulgatum est: vid. *HORSTIUS de tuenda Sanitate*; & *LOTICHIUS pag* 244. ex nimia lætitia delitia annotat. *Tristitia* nimia abbreviat vitam, mortemquè accelerat, aut sopitos Melancholiæ deliriorumque paroxysmos denuò exsuscitat; nimius autem *metus* desubitò quosdam canos reddit, nimius verò *Terror subitò calvos*, teste *SCHENCKIO Observat. 1.* Ex Terrore canitiem secutam ipse in Anglia observavi: Podagram ex Terrore in quodam, qui aliàs parum affectus hâc fuit, observavit *LOTICHIUS p. 489*: ex inducto Terrore mulieribus menses supprimuntur, sicuti hæmorrhagiæ narium sæpè cessare solent, quæ deinde sæpè exasperati solent: *GABELCHOVERUS* habet exemplū prolapsi in ▽m frigidam, indequè febre correpti: memoriæ læsio à Terrore habetur in *SCHENCKIO l. 1. Observationum*, aliosque morbos recenset *BARTHOLINUS in Histor. Anatom. Centur. 3. Observat. 41*: Mensium fluxum ex Terrore exasperatum, unde mors secuta, observavit *SALMUTH Cent. 3. Hist. 49* Ex Mœrore paralysin observavit *SCHENCKIUS l. a. l. 19. & l. 2.* sputum sanguinis; Animi deliquium *AMATUS LUSITANUS*; talem *ZACUTUS LUSITANUS* in *Mœstitia enim & Timore* massa sanguinea tardè admodum circulatur, pulsus fit tardus, & ∼ non in debita quantitate ac qualitate generantur. Sed de his mirandis Animi affectuum effectibus vid. *MARCELLUS DONATUS in Histor. Medic. Mirabil. l. 3. cap. 13. p. 280. ad 289.* Unde contra *Alterationem ab Ira adhibenda* sunt ea, quæ nimium spirituum motum

morum & sanguinis orgasmum compescunt, adeoque conveniunt *acida volatilia*, pro condensandis quidem spiritibus opiata cùm absorbentibus, ut cornu cervi, ebore sine igne, antimonio diaphoretico, &c. In gaudiis opiata non prosunt. In *Terrore salia volatilia subtilia* commendantur; item ▽ æ contra Terrorem, die Schreckwasser in Officinis Pharmaceuticis, ex volatilibus, & quidem aromaticis, constantes, spiritu liliorum convallium, &c. unde coagulatio dissipari potest. Opiata etiam admisceri possunt.

Sed *hi ipsi affectus non minoris* quoque *ad sanitatem sunt efficacia, gaudium* siquidem solum ex usu esse salubri, refert *FERNELIUS*: id quod verissimum, præcipuè autem senibus, studiosis, & iis, qui vitam sedentariam agunt, propter exaltationem spirituum imprimis convenit, modo sit moderatum: commendatur mulieribus in defectu mensium, ut & Cachecticis & Melancholicis. Nihilominus tamen nec aliorum negligenda est ratio: *Ira aliquot vicibus repetita*, sed moderata, convenit iis, qui cachecticis & chronicis obnoxii sunt affectibus, item mulieribus, quibus non adeò commodè fluunt menses; promovet enim sanguinis motum fermentativum, & disponit ad spirituascentiam sanguinis. Ex gaudio item vehementi & subitanea excandescentia curatam podagram, paralysin & similia, videbitis in *VALERIOLA l. 2. Observat. 4.* item in *HORSTIO T. 2. l. 3. Observ. 15.* Cùm enim paralysin solvat superveniens febris, teste *HIPPOCRATE*, sanè *ira, ceu febris quædam artificialis* & subitanea non erit adeò incongrua: nunquam aliàs est proficua ira. Terrore inducto sæpè hæmorrhagias periculosas & menses mulierum sisti, notum est, sicut & quartanas contumaces, aliasque febres, interdum tollit, & similis terror ex projectione in ▽m rabidos & maniacos restituit, teste *HELMONTIO*. Consuetudo tamen in affectibus animi, horumque vi in corpora multum quoque facere solet, dum v. g. ira hominem aliàs placidum commovens huic maligna sit, quam Xantippe rixosa pro deliciis habet.

Sequuntur in ordine causarum *res præternaturales*, circa quas (ut taceam inspirata vitiosa, tàm endemica, quàm epidemica, ut & assumpta plus minus medicamentosa aut venenosa, quin etiam contagia aliunde hausta, præter hæreditaria morborum semina; quæ omnia generalis *Receptorum* nomine complectitur *HELMONTIUS Tract. Morborum Phalanx & Divisio*) notandum, in hac classe primariò eminere digestionum quarumvis, tàm publicarum quàm privatarum, errores, & inde multiplices enata reliqua fermenta vitiosa, hincque productas sordes recrementosas, easque nunc relictas, nec ritè excretas, nunc successivè diversimodè transmutatas, & vel per se, vel aliorum fluidorum associatione variè alteratas, nunc ad alias partes & digestionum officinas transmissas, ubique naturalem corporis œconomiam hostili sua præsentia & molesta impressione turbantes, quæ omnia generali, pariter *Retentorum* titulo comprehendit *HELMONTIUS loco citato* His enim ex occasionibus & frequentiores & graviores omninò morbos continuò succrescere, quotidiana loquitur experientia. Siquidem uti his ritè se habentibus per nutritionem supplentur continui naturales defectus Corporis, tàm spirituum & humorum, quàm partium solidarum, ita his vitiatis & vitiari illa omninò necesse est.

Pertinet huc *PARACELSI Tartarus*, qui sub commoda explicatione (nam quæ *PARACELSUS* de Tartaro asserit, funditus diruit *HELMONTIUS Tract. Alimenta Tartari Insontia, item* ♀ *non in Potu) nihil aliud est, quàm Acidum vitiosum* vel *facilè coagulabile*, vel *coagulatum*, vitioque digestionis primæ, h. e. ventriculi fermentationis, & fæcum vitiosæ separationis, genitum, à quo omnia coagula, Venereorum tophos ac gummata, scirrhos, calculos, podagricorum nodos, à tartaro seu succo acido vel coagulabili, vel coagulato, esse dicere possumus; Qui, si minora & angustiora obsideat vasa, eaque oppilet, Obstructionum Autor erit. Appellationis ratio Metaphorica est, desumpta à coagulo isto in Vino, & in ambitu circa dolium concrescente, Tartarus communiter appellato. In specie ad resolvendum & curandum Tartarum morbosum conducunt remedia tartarea ex tartaro vini parata, v. g. ⊖♀, ℞ tartari, &c. Sal volatile, item spiritus carminativus & sequ. Qui plura desiderat de Tartaro, *POTERIUM* adeat *de Febribus c. 33. de Generat. & Operat. Tartari*, *PARACELSUM prolixiori Tractatu de Morbis Tartareis*, item *JOHANNEM HAYNE* von Astralischen und Tartarischen Kranckheiten.

Imprimis tamen hoc in negotio ratio vel maximè habenda est digestionis primæ in stomacho, & hinc ejusdem in intestino tenui perfectionis, quarum ratione ventriculus rectè sanitatis morborumque author dicitur, siquidem quævis succorum in corpore fermentationes, sunt saltem continuationes fermentationis in ventriculo inchoatæ. Est *scilicet Cacochylia fœcundissima mater Cacochymiæ*, & hæc cujusvis *Cachexia*. Ponuntur nempe prima fundamenta sani & ægri corporis in ventriculi digestione, & ex hujus errore tam chronicorum quam acutorum morborum sparguntur semina. Cruditas ejus seu alimentorum chylificandorum corruptio & depravatio innumerabilis est, acidæ & nidorosæ cruditatis nomine generaliter comprehensa, ibi scilicet in acidum degenerari, hîc in idem deficiens, & hinc ex subnascente inchoata putredine ad emergens urinosum, utrinque vitiosè se habentia, respectu habito; *adeò ut vix occurrat morbus, etiam in remotissimo loco, in cujus cura stomachi non simul tàm præservativè habenda sit ratio*: Unde Cacochymia constituenda primatum ducunt sub chylosi commissa errata. Conferatur hîc de acido stomachi exorbitante, multorum morborum causa, *HELMONTIUS Tractatu à sede animæ ad morbos, item TACCHENIUS in Clave cap. 9.*

Errores verò sub digestionibus committuntur, vel *materiæ ex qua*, vel *efficientis fermenti*, vel *excretionis vitio*. *Materiæ quidem* ratione, quando hæc vel copiosior, vel vitiata fuit, adeoque fermenti digestivi vim alterutro, vel utroque modo superavit, ut ab eodem minus alterabilis existat. Fermenta digestiva tàm digestionis publicæ in ventriculo & hinc vasis sanguiferis, quàm privatæ in singulis partibus, vel naturaliter deficiunt, unde senectus tandem ingruit, vel præternaturaliter variis occasionibus vitiantur, aut in operando impediuntur. Equidem vitia fermentorum à priori sunt inexplicabilia, adeoque tantùm à posteriore ex affectibus sensui notioribus, &

secundùm *HIPPOCRATIS* ductum ex saporibus, horumque 1000. potentiis explicanda & determinanda veniunt, quatenus fermenta vitiata vitiatis suis saporibus vel potentiis Hippocraticis nos alterant, & simul contenta corporis, vitiatis talibus saporibus, inquinant, unde horum cacochymia supervenit. *HIPPOCRATES* scilicet saporibus istis & potentiis primario fermentata morbosa humorum corruptiva circumscribit, secundario verò & ipsorum contentorum vitiatam crasin seu cacochymiam, per alterationem, ab istis fermentis inductam, delineat. *Excretionis* denique vitia jam suprà sub Retentis *HELMONTII* fuerunt exposita.

Dixi, fermentorum vitia præternaturalia à priori esse inexplicabilia; nam & eorum constitutio naturalis simili modo est imperscrutabilis, adeoque non nisi ab effectu patent, quem exserunt mediante certo motu intestino, in materia conveniente concitato, cujus communia instrumenta sunt *acidum* & *alcali*. *Spiritus insitus* scilicet, quatenus nutrimenti assimilatione & agglutinatione nutritionem partium privatam perficit, fermentum digestionis tertiæ dicitur, sicut *influus* in ventriculo digestionis primæ, & in venoso genere est fermentum digestionis secundæ. Seminalis est hæc potentia, qua ut primitus sanguinem & partes ex materia aliena fabricant & constituunt, ita eâdem vi easdem constitutas per nutritionem & huic inservientes digestiones conservant. Vis verò ista (ut & omnium aliarum rerum) seminalis, sub creatione primitus nata, immediatè ex mente divina fluxit, adeoque penetrari à nobis, & formalitas ejus explicari nequit. Sin itaque fermentum tale digestivum quodcunque aliquâ sui parte quacunque ex occasione vitietur, ita ut aberret in digerendo, in præternaturale degenerat fermentum, unde præternaturales digestiones, vitiosæ assimilationes, præternaturales humorum fermentationes, partium solidarum irritationes, &c. sequuntur, non priùs cessantes, quàm ipsum vitiatum fermentum, ejusque vitiatus sapor alteratus & correctus, & hinc nata producta pariter emendata & excreta fuerint.

Sic enim ab externo contagio Chirotheca scabiosæ, vel nutrimenti vitio interno ∽ insitus cutis alteratur, ut nutrimentum in saniem seu ichorem acido-salsum convertat, unde scabies. Sic vitiatur v.g. per iracundiam in pastu digestio prima, ut ∽ fermentativus alteratus, & præternaturalem saporem acidum volatilem contrahens, in massam sanguineam cum chylo delatus, præternaturalem fermentationem acutam febrilem inducat, adeoque fermentum febrile formaliter constituat. Dum itaque fermenta vel naturalia vel præternaturalia in Pathologia sub causarum morbosarum censum referuntur, *intelligendum venit Fermenti nomine in genere agens mole minimum, adeoque subtile & penetrativum*, hinc *summè mobile, adeoque volatile & spirituosum, & potenter activum*, seu mediante determinati motus impressione spirituum & hinc humorum alterativum, sicque simul sui multiplicativum; unde odorum subtilissimorum instar, summè tamen penetrativum, ferè se habere videntur, hinc & *HELMONTIUS* Odorem seu qualitatem alicujus fracedinis, *TACCHENIUS* Auram vocat: vid. *HELMONTIUS* passim, præprimis *de Caus. & Init. Immaterial.* §. 24. 25. Item *Imago Ferm.*; totque etiam ab *HELMONTIO* in corpore humano concipiuntur fermenta, quot sunt in eadem digestiones. Uno verbo, id quod naturali in statu fermentum naturale constituit, hoc degenerans ex parte fermentum præternaturale existit; ab hoc enim associatione sui cum fermentis naturalibus facili, propter radicalem convenientiam, dum turbatur in opere suo, & impeditur plus minus ∽ fermentativus naturalis, actionum læsio, & hinc plurium morborum origo subnascitur, donec, correcto præternaturali & secretò, naturalis actionum ordo, ex causarum secundùm leges seminum debito modo agentium serie, seu naturæ super morbum victoriâ, superveniat.

Ex quibus sponte sequitur, non in magna materiæ mole causam morbosam proximam esse quærendam, nec in humorum varia colluvie eandem inquirendam, sed minima utplurimum maximorum morborum esse initia, & causas materiales seu occasionales non ex mole corporis, sed potestate operationis, esse æstimandas, sive humores contentos fermentando, sive partes solidas nerveas sensilius vellicando, operentur. Sicut enim tantillum est materiale, quod vel apis spiculo, vel scorpius caudæ adunco extremo, vel vipera dentis foramine infundit in partem læsam, inde tamen atrocia nihilominus adeò nocumenta: sicut tantillus saltem est odor ex moscho, qui fœminam hystericam tantùm non exanimat; sicut tantillus est halitus, quem scabiosæ manus chirotheca suo contactu communicat, aut quem scortum Lue Venereâ inquinatum, sui congressu alteri insinuat; sicut tantillum est, quod felis exspirat, & tamen ob idiosyncrasiam quosdam in periculosissima symptomata conjicit: sicut tantillum est de antimonio, quod sui in Vin. infusione totũ abdomen, & tantùm non universum conturbat corpus: sicut tantillum est acidi, quod odontalgiam intolerabilem cum insigni hemicrania, & febrilibus non rarò symptomatibus excitat; ita simili ratione tantillum est, quod frequentissimus atrocissimorum etiam affectuum Autor existit, adeoque ob sui potentiam in tantillo corpore meritò fermentum appellandum. Hinc rectè & notanter *TACCHENIUS in Clave pag.* 237. & 242. Acidum stomachale in corpore peccans non instar torrentis, sed instar auræ seu odoris operari asserit: vid. *Dissertat. de Usu & Abusu Præcipit. cap.* 2. §. 12.

Negotium hoc clarius patescit, si consideremus spinam etiam tantillam digito infixam, adeò ab Helmontio hinc inde inculcatam; hanc mox dolor, ardor, tumor insignis, suppuratio, & subinde gangrænæ periculum supervenit, &c.; non sanguis hic est in inflammatione gangrænata, aut pars solida, quæ peccant, sed spina, cujus hostili præsentiâ omnia ista gravia occasionaliter concitantur pathemata. Hinc frequentissimè tantillula est spina, cujus tamen dolorosâ aliâvè inimicâ impressione mille mala concitantur, & in cujus spinæ perspectione & genuina evulsione, h.e. fermenti morbosi aut saporis peccantis specialis cognitione à debita correctione totius praxeos negotium unicè occupatum esse debet, v.g. in odontalgia vel arthritide dolor, tumor, ardor, contractura, impetus febrilis socius, &c. plura ista mala producta saltem sunt morbosa, ab acido ceu spina circa articulos infixa, quâ evulsâ seu correctâ omnia ista sponte evanescent symptomata.

Unde

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0236-4 DFG

Unde ulteriùs probè *observanda* est *Distinctio inter morbum ipsum, Causam Morbificam*, & *inter Productum morbosum*, in corpore vel vi morbi per degenerationem materiæ, vel occasione causæ materialis, vel spiritus impetum facientis, pronatum; e.g. Calculus ipse in se non est morbus; sed certa ista Ametria ⊖ium, quà eadem facilè se mutuò coagulant, est *morbus*, qui *Lithiasis* dicitur, *cujus Productum est Calculus*. In *Catharro*; ubi subinde effluit copiosa lympha acris è naribus, hæc non est morbus, nec causa, sed est productum morbosum: *Pars affecta* seu *læsa est membrana pituitaria superior*, ab inclementia ♎is hyberni; simili modo ac solutum Vitriol. naribus attractum ingentem Coryzam excitat, propter acrimoniam. Sic Cachecticorum *tumidi pedes* & *leucophlegmatia* non sunt morbi Intemperiei humidæ, sed sunt *saltem producta morbosa cachexia*, vitio sanguificationis enata. Sæpiùs tàm in quartana, aliisque febribus chronicis, quàm scorbuto aut malo hypochondriaco, hepar & lien tumidi, imò non rarò scirrhosi, &c. deprehenduntur, unde vulgò ejusmodi mala ex isto Tumore derivantur, quod falsum, cùm potiùs talis splenis vel hepatis affectus sit Productum morbosum, talibus affectibus inveteratis digestionum vitio superveniens, quàm radicales eorum causæ. Sic quando *larynx læditur ab* ♎*e aspero hyemali*, oritur *Tussis*: *hic putatur, mucum istum* esse *causam morbificam, quod tamen non est, potiùs est productus* effectus, *qui supervenit* ex *larynge læsa*, propter quam læsam fit nutritio læsa laryngis. Talia producta morbosa meritò etiam censentur *incalescentia* & *Refrigeratio*, tàm universi corporis in febribus, quàm particulares cujusdam loci incalescentiæ & *phlogoses* in erysipelate, &c. Sic Tumor, Ardor, Inflammatio, lachrymarũ fluxus, &c. non sunt morbus ophthalmiæ, sed verè morbosa producta, occasione illapsi pulvisculi acrioris illata.

Ad talia Producta morbosa pertinet etiam Theoria *Calculorum* & *Flatuum*. Generatur Calculus in omnibus partibus corporis, tàm in solidis, ut renibus, lingua & cerebro, quàm liquidis, ut in folliculi fellis liquore, & in massa sanguinea, ubi observatum, quod in venæ sectione calculus cum sanguine prosilierit: vid. *SENNERTUS in Institut.* & *SCHENCKIUS in Observationibus*. Frequenter & ordinariò generantur in renibus, vesica urinaria, ultimò in folliculo fellis, propter alcali ibidem copiosiùs hærens: si enim pauxillum Acidi instillatur in vesiculam fellis, fit Coagulatio.

Quæritur, qua ratione generentur? Veteres à frigiditate, uti glacies, aut à calore, uti lapides coctiles, fieri dicunt: sed unde illi Gradus eminentiores? Moderni calculorum ortum probabili magis modo à ⊖ibus ostendunt. Ut autem hoc meliùs intelligamus, consideremus calculum genitum, ex quibus constet, quod facilè docebit ejus resolutio spagyrica. *Quando enim destillatur* (quod fecit *TACCHENIUS in Hippocr. Chymico p.* 92. & 93. ubi habet encheiriſes huic operationi debitas) prodit ∼ urinosus instar ∼ ⊡æ cum ⊖e volatili acri, oleo fœtido & empyreumatico, remanet ♡, corpus instar ♀æ; cui si affundatur dictus ∼ proprius destillatus urinosus, oritur effervescentia; & ♡ molle friabile iterum abire in Calculum durum idem *TACCHENIUS* perhibet, cujus tamen Asserti fides sit penes Autorem.

Ex hoc ergò patet, adesse

1. Sal volatile oleosum urinosum,
2. Simul subesse Acidum propter effervescentiam infusione ⊖is alcali.

Ex hoc habemus binos coagulatores, duo scilicet ⊖ia, Acidum & alcali, quæ duo invicem coëundo se uniunt, & quicquid simultaneæ coagulationi aptum, arripiunt, coagulant in consortium lapidis. Experimentũ etiam habemus elegans, vinum in tophos & calculum coagulari: Recipiatur nempe ☽ per carbones probè fixatum, misceatur cum parte silicum, fundantur igne forti, coëunt in vitrum: hoc effusum in laminam auricalceam, citò pulverisetur, cui affundatur spiritus vini, & brevi post tingetur colore rubro hyacinthino, defundatur, & ∼ novus affundatur: tandem menstruo abstracto fit ♁ rubicundissimum, cujus olei rubri si aliquot guttulæ instillentur in vitrum vini, mox emergit coagulum gypseum, simile calculo seu topho in articulis podagricorum: Ratio est, quia Alcali nitri urinosum cum spiritu vini exaltatum arripit Acidum vini, quod coagulat in calculum seu substantiam tophaceam, unde *Vini sulphurei potatores nephritide* seu *calculo laborare* solent.

His præmissis dico, Calculorum concrementum esse ⊖inum, & generari per modum coagulationis duorum ⊖ium præternaturalium, Acidi præternaturalis & Alcali volatilis urinosi, dum Acidum vitiosum in primis viis, imprimis ob stomachi errorem, dilapsum, reliquis partibus communicatur, in quibus inveniens ⊖ urinosum purius, cum eodem se conjungit, unde necessariò in unam massam ita coëunt, & se invicem firmitet coagulant; & quicquid conveniens ac aptum unioni simul apprehendunt, idem cum urina potus ad vias urinarias delatum, uti innumerabilium aliàs morborum causam, ita cum his duobus ⊖ibus unà coagulum suscipit, & calculorum varietatem constituit: Si enim mucus quidam adest, fiunt Calculi albi; si guttulæ aliquot sanguinis ex vena erosa decidentes simul coagulantur, oriuntur rubri aut flavescentes: hinc Podagrici simul ut plurimum Nephritici sunt.

Dixi, transferri Acidum ad vias urinarias; quia verò Acidum pro se solum non sufficit (aliàs in omni stranguria ex Acido præternaturali ex ⊡ calculus generaretur) concurrat alcali volatile urinosum, cumque in renibus imprimis, hinc in vesicula fellea, abundãtia reperiatur salis, istiusmodi urinosi, propterea nullæ partes magis renibus, & indè fellea vesicula, obnoxiæ sint Calculis. Et quidem, quia urina naturaliter est ⊖sa, sine ingenti alteratione cum Acidis commiscibilis, ideò, ut ex Alcali urinæ, ab Acido saturato, Calculus generetur ab Acido præternaturali ex primis viis delapso, necesse est, ut urina ⊖sa prius per aliqualem putredinis notam resolvatur, & ita ⊖sus urinæ sapor dividatur, ut ⊖ ejus urinosum volatile sic purius & manifestius fiat, quo cum acido congredi & coagulari possit, nunc in granula seu arenulas minutissimas, ex quarũ coagmentatione majores resultant Calculi, nunc verò mox in majora & durissima concrescit saxea mõstra & tophos: sicuti enim urina extra corpus paulò diutiùs in matula servata per putredinem copiosa colligit excrementa; sic ita etiam in corpore nostro aliquali putredine dissoluta urina dividit propria hæc duo ⊖ia, & sic mutuo iterum congressu materiam illam terrestrem combinat: unde patet, quod à præternaturali acido coaguletur calculus. Confirmat hoc historia *HELMONTII Tractat. de Lithiasi*, quando refert, Jure Consultum ex esu nimii Asparagi redditum fuisse calculosum: & notum est,

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0237-0 DFG

Asparagum reddere ⊡m fœtidam & putridam, unde ex putredine ⊡æ, vitiato ⊖e alcali oleoso separatoque, cum Acido præternaturali coire posse in unum concretum, calculum. Distinguitur tamen inter sabulum vel ∴m, quæ generatur in matulis Nephriticorum, minimè friabilem; & inter eam ∴m, quæ generatur in urinis scorbuticorum friabilem, & in pulverem reducibilem.

Quæritur autem, quomodo ⊡ in renibus possit putrefieri? Respondeo: Est fermentum singulare ⊡rium in renibus, quod alteratur plus minus, & vitiosum redditur, ita ut beneficio hujus ⊡ alteratæ incipiat corrumpi, & corruptione ejus ⊖ volatile oleosum separari, quod cum Acido præternaturali concurrendo ad generationem calculi confert. Fiunt hæc eò faciliùs in renibus, quod faciliùs stomachi errores iis communicari possunt per ⊡m potus, ibique hanc peregrinorum coagulorum producere sobolem, vid. *TACCHENIUS loco allegato* id quod similiter de Podagricorum nodis seu tophis intelligendum est, quatenus Acidum podagricum traducitur in artuum juncturas, atque inibi manifestum ita coagulat synoviam artuum; tophi enim hi sunt quasi Calculi in articulis.

Certum autem est, dispositionem quandam certam inesse renibus ad generandum calculum, v. g. centum homines uno alimento & potu utentes calculum non generabunt, nisi dispositi sint ad illum: ex his soli bini calculosi omnia in calculum vertent. Consistit autem dispositio hæc in nulla alia re, nisi fermento dicto singulari renum præternaturali alterato & vitiato. Confirmant hoc ea, quæ à calculo præservant, in specie balsamica terebinthinata, renibus amicissima, quæ nempe impediunt fermenti renalis corruptionem, & sic in specie in aliis partibus. Frequentissimi sunt calculi renales, quia non tàm citò credendum, in vesica generari. Vix continetur calculus primariò in vesica, potiùs è renibus dilabuntur per ureteres ad vesicam urinariam. *Generantur primò sub forma minutissimorum granulorum, quæ per ureteres ad vesicam descendunt, parietes vesicæ continuò affrictu atterunt & lædunt, ex qua lesione transsudat humor spermaticus* seu *nutrimentum vesicæ*, quod viscditate aliquali gaudens *successivè adhæret dictis granulis* calculosis, & simul *cum iis in vesicæ calculum coagulatur.* Hinc si diffringuntur Calculi vesicæ, apparet ex *pelliculis* pluribus superimpositis, *instar cepærum vel lapidis Bezoar* (es lieget eine Haut über der andern) in medio reperitur nucleus ex renibus per ureteres eò delapsus, per succum nutritium & alia ad calculi seu tophi apta accidentia successivè auctus & coagulatus. Salia enim dum coëunt, minutissima granula constituunt, quæ facilè sunt solubilia; quando verò læduntur membranæ pelvis, & superveniat transsudatio succi nutritii aut sanguinis, cum salibus coagulantur, oriunturque Calculi planè duri & silicei.

Ipse Calculus, uti toto genere præternaturalis & nobis maximè nocumento est; ita è contrario virium quoque ratione, sudorem promovendo & vi alexipharmacâ egregium est nobis medicamentum. Talem vim ad ℈j in ▽ appropriata experti sunt plurimi Medici. In peste conducit. *BONTIO testante in Medicina Indorum*, quod Angli etiam experti sunt; qualem vim non habebit Bezoar. Contra philtra post præmissum vomitum tanquam egregium specificum à ℈j ad ʒj commendatur ab *HENRICO ab HEER in Observationibus.*

Aliud Productum morbosum, multarum tamen molestiarum Autor, variè affligens, in specie in abdomine & intestinis, sunt *Flatus*, qui cùm neque ad Vapores, neque ad Exhalationes, referri possint, ad tertiam quandã Classem hujusmodi Entium, nempe ad *Gas sylvestria*, seu spiritus incoërcibiles meritò revocantur ab *HELMONTIO.* Reperiuntur etiam Flatus in aliis locis, non tantùm in tympanitide & tumoribus flatulentis, sed & observatum est, quod in venæsectione non levis Flatus proruperit. *Natura eorum obscurissima est*, & ordinariò solent confundi cum Exhalationibus & Vaporibus, qui tamen toto cœlo differunt.

Quod attinet Vapores, ii sunt Effluvia humida, beneficio Caloris resoluta, & frigore tenui in guttas condensabilia, quod demonstrat Destillationis negotium. Quod attinet *halitus* seu *Exhalationes*, sunt *eæ Effluvia* sicca, calore elevata, & frigore denuò condensabilia; unde *Halitus condensati Flores, Fuligo*, &c. dicuntur, cum quibus nullum commercium habent Flatus; siquidem Vapores & Halitus calore solvuntur & frigore constringuntur, neutrum autem horum Flatus patiuntur.

Generatio ergò eorum *Flatuum* neque est à Calore, neque à Frigore per se, sed *tantùm ab Acido præternaturali*, per vitiosam fermentationem ex materia quacunque, ut plurimum tamen aliquid viscditatis aut glutinositatis oleosæ in recessu habente: Hinc in mulieribus hystericis, hypochondriacis, cachecticis, similibusque vitio fermenti ventriculi aut succi pancreatici, vitiosè acidorum, ordinariò copiosissimi generantur Flatus, etiam quibuscunque ex cibis; ita ut non ructus solùm, sed & crepitus ventris edant creberrimos.

De natura eorum videatur *KERGERUS Tract. de Fermentat. Sect. 3. cap. 3. pag.* 223. Remotis his, pressiùs examinabimus Flatuum horum naturam, & consideremus Flatus artificiales, qui in notitiam eorum nos ducunt. Equidem, quod obiter insinuo, nonnulli dicunt: Quod est ventus in Macrocosmo, Flatus est in Microcosmo, sicuti *PARACELSUS P.* 4. Cardines mundi distinxit per Flatus. Sed nihil hoc refert: *Ventus enim est motu aëris, vi elasticâ elatus.* Formaliter autem rebus assumptis non insunt flatus, sed fiunt tantùm de novo nunc per vitiosam fermentationem in stomacho & intestinis, nunc per effervescentiam, i.e. materialiter existunt; non formaliter; scilicet materia Flatuum adest: e.g. spiritus nitri metallico corpori dissolubili, imprimis Marti vel Veneri, affusus excitat strepitum, effervescentiã, copiosas bullas, & flatus emergunt copiosissimi, & quidẽ adeò fortes, ut possint etiam fortiora vasa diffringere: vid. *BECCHERUS in Physica subterran. cap. de Liquefactione.* Si destillatur ♀, formalem effervescentiam sub destillatione concipiet, ita ut nisi patulæ sint quidam rimulæ, Flatus sub effervescentia tàm violenti surgant, qui minimè coërceri valent, sed omnia, propter Flatus copiosissimos, diffringuntur. Item si ✱ aut succus citri superfundatur coralliis, ostrearũ testis, lapillis cancrorum, &c. Flatuum tantus strepitus & bullarum proventus oritur, ut, nisi detur porta, vitrum diffringat. Sic etiam farina omnis quocunque modo tractata, sive cocta sive macerata, non parit Flatus; si verò fermentetur, sponte Flatus insignes eructat. Similiter ac fructus horæi, eorumq; succi, in specie Mustum, quacunque ratione vexatum, destillando, evaporando, &c. sine Flatuum erit proventu; quod, ubi fermentationem conceperit; non sine impetu eosdem copiosos exhalat, & nisi detur spatium, fortissima dolia diffringit: vid. *HELMONTIUS de Fla-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0238-5 DFG

Flatibus & *KERGERUS loco allegato.* Sic si accipiatur butyrum antimonii, & affundatur ~ nitri, intensa fit effervescentia, & tantus Flatuum impetus, ut nisi vas sit apertum, coërceri nequeant.

Ex his ergò patet, Flatus, qui ex stomacho sub ructuum nomine erumpunt, non existere in rebus formaliter, sed materialiter fieri ex Mistis, nunc per motum effervescentiæ, nunc per motum fermentationis, ut patet in panificio, cerevisia & musto. Unum adhuc urgebo: Poma matura quacunque ratione tractentur, nil flatuum emittunt; quando autem calore fermentationem concipiunt, & fortiter agitantur, disrumpit cortex propter flatuum proventum qui pomis anteà non inexistebant, sed de novo per fermentationem generati sunt. Porrò una adhuc observanda est proprietas Flatuum, quod scilicet nullo modo possint in corpus aut visibile aut palpabile reduci aut coërceri, secus ac in Vaporibus; indè frustrà & in cassum laborant, qui magno alembico volunt capere Flatus, seu spiritum fermentantis vini, quia impossibile est, ut coërceantur in aliquod corp°. Jam verò si quæratur, qualia entia sint Flatus? ex dictis patet, esse producta corporum nova, cum aliis nullo modo conferenda, unde ab *HELMONTIO* tanquam nova entia novo nomine appellantur *Gas*, quod *Gas ipsi est substantia subtilis, at spirituosa*, in corpus visibile incoercibilis, nec immediatè reducibilis genita ex mistis corporibus per motum fermentationis aut effervescentiæ. Sunt autem varia Gas; sylvestria, pinguia, & ♎ea sicca. Sylvestria sunt, quos vocant communi nomine Flatus. Hæc si applicare volumus ad corpus nostrum, deprehendimus, in novis *fieri Flatus per vitiosam fermentationem, ita ut acidum sit causa efficiens*, Materia verò Viscidum pingue.

Et licet quidam obiiciant, differentiam esse faciendam inter alimenta quædam, aptiora præ aliis producendis Flatibus, Flatulenta ob id appellata, qualia sunt cepæ, raphanus, armoracia, uvæ recentes, poma cruda, castaneæ, aliiquè fructus horæi, cerevisia novella & infæcata, mustum, caseus & similia; & inter alimenta non flatulenta: non insunt tamen his Flatus, sed hi gignuntur tantùm ex illis, non quidem in omni stomacho (nam robustus hæc, ut & maximè flatulenta, sine flatulentia, digerit) sed tantum in defectuoso, aut qui aliis simul cibis copiosiùs se nimis ingurgitavit; in hoc ex alimentis etiam optimis & non flatulentis per vitiosam fermentationem pariter copiosissimi exsuscitantur flatus.

Certum interim est, alimenta quibusdam magis esse apta, ut exindè facillimè elaborentur flatus, quàm in aliis, e. g. præter jam dicta, eadem alimenta, quæ constant ⊖e volatili acri: interim in stomacho sano nihil obesse possunt. Modus est; dum Alcali volatile acre in flatulentis dissolvit Viscidum pingue stomachi, & postmodum cum Acido stomachi concurrit, generantur copiosissimæ bullæ, in quibus bullis ⊖ia tandem coëunt, & pedetentim resolvuntur, & tandem in ejusmodi ~ flatulentos & incoërcibiles abeunt; simili ratione ~ nitri progenerat flatus, affusus Marti vel Veneri, ubi corrodendo & dissolvendo simul attenuatur in substantiam spirituosam, nullo modo coagulabilem.

Distincti tamen sunt flatus in nobis, *Naturales* & *Præternaturales*. *Naturales* sunt, qui semper & in omnibus subjectis reperiuntur, imprimis in intestino jejuno (quod patet in dissectis animalibus, ubi Jejunum reperitur totum flatibus repletum) hunc in finem ordinati, ut conservent parietes intestinorũ distentos, ne invicem adlabantur, & consequenter pori continuò in intestinis maneant patuli. Hi gignuntur in nobis ex muco naturali intestinorum acido, concurrente simul ⊖e volatili oleoso seu bile pingui, & fiunt flatus inde ♎ei foetidi, quod exinde patet, quia, si admovetur flamma vel candela accensa, sunt inflammabiles. Quare autem foeteant flatus, ratio petenda ex artificiis Chymicis, ubi deprehendimus, subjecta ♎ea & pinguia, si solvantur ab Alcalibus, & præcipitentur ab Acidis, fœtorem dare insigniter nares ferientem. Sic si cum Antimonio, tartaro & nitro, crocus metallorum vel regulus antimonii paratur, scoriæ istæ antimonii nil aliud sunt, quàm ♎ antimonii dissolutum ab Alcali: quæ si solvuntur simplici ▽, nullum spargunt odorem; si verò hæc solutio præcipitatur ab Acidis, instillando ✕, spiritum vitrioli, nitri, &c. immensus emergit fœtor. Simili etiam modo Flatus in nobis fœtent, quatenus oriuntur unà cum concurrente bile, cujus ⊖ volatile & proprium ♎ resolutum præcipitatur ab Acido, & dat flatus fœtidos; & notissimum est, quo magis pinguia sunt ⊖ia, eò magis fœtent flatus, quo minus pinguia ⊖ia, eò minus fœtent. *Præternaturales* Flatus sunt, qui sub digestione prima, secunda & tertiâ, per materiam viscidam pinguem, ab effectore Acido generantur.

Ex suprà jam jactis fundamentis facilè erit causas morborum speciales, & multiplicem excremẽtorum per os, alvum, sudorem, aliavè loca, varietatem exactiùs indagare, eorumque fiendi ac nocendi modum explicare, ut habeamus occasionem meditandi de proficuis remediis; cum non formaliter sub tali textura in corpore præextiterint, sed materialiter tantùm oriri eadem, adeoque ut plurimum producta morbosa sint.

Cùm enim non tãtùm variæ alimentorum in primis viis sint corruptiones, sed etiam succorum, tàm bilis quàm pancreatici, non tantùm in Quanto, sed etiam in quali, variationes & alterationes, sæpèque depravationes, & à naturali statu degenerationes, à varia harum combinatione, imprimis secundùm principia ⊖ina, varietas excretorum dependet. Non ergò variæ pituitæ species statuendæ, ex alio atque alio caloris secundùm gradus defectu, nec variabilis aut melancholiæ determinatæ sordes ex alio atque alio Caloris augmento; nec solo colore excreta æstimanda, ut omnia flava sint bilis, omnia alba sint serum, & omnia nigra melancholia; sed variorum succorum concursus dat varia ista excreta, & quoad colorem, & saporem, & consistentiam aliasque proprietates innumerabiliter discrepantia, ut expertæ Chymicorum manus, succos ob varietatem ⊖ium aliarumque particularum diversos miscentes ad oculum demonstrant, pro varietate secretionis, resolutionis, præcipitationis, &c. Qualitates ejusdem liquoris innumerabiliter variando.

Cacochymia ergò universalis speciales habet differentias, modò consideremus oriri humorum vitia in Excretis 4 ex causis, in quarum cognitionem sapore, odore & colore deducimur.

1. *Ex* multiplici *contentorum*, etiam naturaliter se habentium, undecunque facta *alteratione* vel *corruptione* muliplici; sic enim sanguis in pus, lac mammæ in grumum caseosum, synovia articulorum in calcem vel cretam podagricam, nutrimentum chylosum intestinorum in variformem mucum sub dysenteria, ⊡ in calculum, lachrymalis lympha in sordes varias, &c. abeunt; quæ omnes mutationes contentorum naturaliter se habentium ex-

aliunde undecunque etiam facta immutatione oriuntur.

2. *Ex multiplici Assumptorum* in stomacho & primis viis *alteratione* & *degeneratione*; quâ ratione sæpè rejiciuntur flavissima, quæ tamen habent saporem insipidum, fœdum & nauseosum, qualia excreta fiunt post ova frixa aliaque assumpta, pinguia, quæ in ventriculo facilè in cruditatem nidorosam abeunt. Dicunt quidem Veteres, omnia flava esse à bile; si ejiciuntur alba viscida, esse à pituita: Unde Calorem debilem tribuunt pituitæ, intensiorem bili, &c. quæ tamen non quadrant ad nostram Medicinam. Fæces enim alvi, licet flavæ, non tamen habent colorem à bile, nec sunt saporis biliosi; econtrà verò albicantia vel limpida rejecta insigniter amarescunt, teste *FRANCISCO de le Boe SYLVIO.* Sic lac assumptum in caseum abit. Infantes copiosissima flava subinde rejiciunt, quæ tamen non sunt biliosa & amara, cùm ceu dulcia devorentur à canibus, qui aliàs Amara abhorrent: Et unde in illis tantus bilis proventus? Interdum infantes rejiciunt *porracea & æruginosa*, quæ tamen non sunt ex bile; nam manifestè Acidum spirant: potiùs sunt lac, sub digestione in ventriculo, aut distributione per intestina corruptum, & successivè aut in flavescens, aut in porraceum & æruginosum liquamen mutatum, unde & tormina inferunt, quæ ab acidum absorbentibus, v. g. lapillis cancrorum curantur. Fructus horæi fermentando in primis viis, quàm varia recrementa suggerunt? In diarrhæis ex fructibus horæis, vel mutatione ⚲is & victus, quæ rejiciuntur licet flava, non tamen ex bile sunt, sed partes sanguinis heterogeneæ, fermentatione separatæ. *Pituita vitrea dicta ex acido & pingui ferè originem ducit.*

3. *Ex multiplici liquorum* corporis diversorum, quorum vel alteruter vel uterque corruptus est, *miscelâ & confusione*, nunc in Quanto, nunc in Quali, unde secundùm effervescentiæ & præcipitationis rationes discrepantes novi emergunt linquores, nempe bilis & succus pancreaticus variè alterati, nunc seorsim, nunc cum bile permisti, nova textura & novæ affectiones oriuntur, unde excreti per os & alvum varias larvas constituunt. Sic v. g. rejecta alvi excrementa flavent, non quod colorem habeant à bile, aut solâ bile constent, quia non sunt amara, sed admistio succi pancreatici saporem ferè insipidum & aquosum subdulcem ipsis conciliat, unde & ⊖e ⊖so & ammoniacali volatili scatent. *Porracea & æruginosa dicta bilis*, horridi & nauseosi saporis acidi, *ex Acido nimio stomachi vel pancreatis cum bile* naturali *vitiosâ effervescentiâ unito, & ita bilis colorem per præcipitationem alterante, oritur*, quod manifestum est, si, juxta experimentum *GRAFFII de succo Pancreat. pag.* 65. §. 147. ∽ quidam pellucidus acidus, e. g. vitrioli, bili flavæ ex folliculo felleo extractæ commisceatur, exinde statim viridis talis liquor, aut ex atro virescens, emergit; unde & manifestè acidum spirant talia rejecta, & pelvi æneæ aliisque vasis metallicis infusa, ista quasi in æruginem erodunt, quod faciunt etiam albicantia serosa rejecta, uti imprimis vel post potum vel sæpè etiam in scorbuticis fit. In iis acidum præponderat, quia odore & sapore aciditatem manifestam in lingua prodit; imò & dentibus stuporem instar fructuum immaturorum austerorum inducunt, & infantes sæpè viridia rejicientes semper tormina ex Acido juncto habent; hinc etiam Acidum corrigentibus, crystallo, coralliis, lapillis cancrorum & similibus, temperantur: Unde & fructus horæi recentes, omnibus consentientibus, maximè disponunt ad bilem porraceam & æruginosam, quia ista ob facilem fermentationem facilè corrumpuntur & acescunt, cujus acoris ratione bilem præcipitantis talis error emergit, adeoque ratione hujus acoris *crystallus bilis porracea, sicut & dysenteriæ Antidotus* prædicatur à *LANGIO in Epistolis*, & experimento comprobatur ab *HEER in ejusdem Observationibus de Cholera.* Sub Bilis atræ, ut vulgò dicunt, adeò horridæ, vel Melancholiæ, nomine *nihil aliud intelligendum venit, quàm Acidum excessivum*, in specie succus pancreaticus nimis acidus volatilis corrosivus, vel interdum lympha nimis acida volatilis, subtilis & penetrans, adeoque potenter corrodens, quæ levi de causa cum quodam subjecto alcalisato, aut cum bile, aut ejus ⊖e volatili oleoso, potest excitare effervescentiam maximam & periculosam, unde Cancer; hinc *dysenteria à bile atra dicitur lethalis propter Corrosivum acidissimum*, valde erodens intestina. In malo hypochondriaco & scorbuto saliva, utut limpida, acida tamen est, quâ lintea & stragula, & gingivæ, uti etiam dentes, corrumpuntur. *Pituita acida intestinorum nil aliud est, quàm viscidior chylus & mucus intestinorum, cum succo pancreatico acidiore impregnatus.* Quod attinet *Pituitam insipidam*, hæc nil aliud est, quàm *chylus viscidior salsius, ex miscela salsi & urinosi vitiosi* ortus. *Pituita vitrea dicta nil aliud est, quàm chylus viscidus tenacior* acido-pinguis ferè, vitio imprimis Assumptorum, vel stomachi vel digestionis genitus. Sic varii *Colores urinæ oriuntur ex variis contentis salino-sulphureis*, ex diversa præcipitatione ⊖ium, ut in artificialibus quotidiè videmus; dum e. g. solutio vitrioli limpida, ceu acidum pancreatis, infusione aut decocto gallarum, instar bilis, nigrescit per præcipitationem, & Attrauentum dat. Hoc infusione ⊖♀ per deliquium albescit, & dein virideſcit; sicut & ∽ sanguinis humani rubicundissimus cum vitrioli spiritu cephalico, seu excapite mortuo vitrioli in ⚲e denuò impregnato, cum affusione ∽ cephalici vegetabilis parato, dat liquorem viridem; Oleum tartari per deliquium cum cor. servis violarum vel rosarum mistum colorem earum mutat in viridem; & ∽ vitrioli rubicundam ℞m ex violis, & cyani vel calcatrippæ cœruleis floribus elicit. Hinc in urina, prout salia vitiosa vel non, & quatenus variæ sordes præcipitantur ex sanguine, eatenus varii colores plus minus variati emergunt: nam propter contenta varia variè mista fit varietas urinarũ: Ictericorum multiplices colores ex succorum in primis viis corruptorum miscela, & hinc facta præcipitatione multiplici, producuntur, &c.

4. Ex multiplici ab ipsis medicamentis, contentis cor-

corporis inducta alteratione & immutatione, in specie purgantibus; hinc enim metallica, ut martialia, solaria, &c. ritè operantia semper excreta reddũt nirgra: sic ☉ fulminans reddit fæces nigras, quod fit per præcipitationem auri: Mars solutus in stomacho, & in intestinis præcipitatus, nigredinem infert: Rhabarbarum & Aloë tingit excrementa intensâ flavedine, unde bilem ab illa evacuari vulgò æstimant, quæ tamen excrementa anteà in corpore flava non fuerunt: Colocynthis albicantia, crassa & viscida emitti facit, quæ non solùm sunt pituita præternaturalis, sed reverà succus nutritius, à malignitate laxantis simul corruptus; in sanis enim & ægris post assumpta talia medicamenta similia excernuntur excrementa: ab assumpto scammonio excreta non à bile veniunt, sed succi corporis à scammonio corrumpuntur. Notum est insuper, quod asparagus ☉m fœtidam reddat; crocus ☉m flavo colore; opuntiæ majoris seu ficus Indicæ succus eam rubram reddit, quam violaceo odore imprægnat terebinthina: sudor luteus à Rhabarbari usu observatus fuit: denique Mercurialia sub forma salivæ viscidioris nutrimentũ partium spermaticarum evacuant.

Ex his & similibus circumstantiis patet, ex colore, sapore & odore conjunctim desumendum esse judicium de Excretis præternaturalibus, & derivandum ex miscela ⊖ium.

Cæterùm, quæ vis hactenus enarratæ causæ efficientes materiales, quocunque ex rerum genere desumptæ, ferè nonnisi occasionales erant, proximum efficientẽ formalẽ, spiritum influũ, & hinc subinde insitum, præsupponentes. Hoc nempe impetum faciens *HIPPOCRATIS*, ut primò fœcundat ovum, & in corporis structura maximè activum est, ita & postmodũ in corpore vivente actionum tàm naturalium quàm præternaturalium unicus & primarius Autor est. Neque enim in cadavere morbus est, utut causa ejus occasionalis supersit, adeoque ab hoc principio, prout omnis motus, vita ac sanitas, ita morbus quoque ac mors ipsa dependet: & sicut omnis morbus de vita plus minus deprædatur, ita in iis vel subjectum vel efficiens erit hic spiritus. Idem nempe efficiens est actionum tàm naturalium quàm præternaturalium, *unde & omnia symptomata actionum læsarum*, & ab his dependentia, reliqua *in excretis & qualitatibus mutatis*, non nisi ab hoc spiritu, ceu primario agente, originem suam nanciscuntur. Conferatur *HELMONTIUS* hinc inde *in suis scriptis.*

Hoc, uti quoad morbos ab internis causis enatos, satis manifestum est, ita etiam de istis, quæ ab externis fiunt, non minus evidens. Siquidem vulnus & fractura, quæ in cadavere æque ac vivente corpore observari solent, non in illo, sed in hoc saltem morbus dici solet, non nisi ∽ hujus ratione, qui sivè insitus læsus, sive influus præternaturalis irritatus, symptomatum quorumvis, vulneri vel fracturæ supervenientium Autor existit, & hujus ratione corpus formaliter ægrotans, læsionis verò externæ respectu, non nisi occasionaliter tale dici potest. *Adeò, ut universalis & formalis morborum efficiens causa rectè ab HELMONTIO, secundùm HIPPOCRATEM τὸ impetum faciens, seu spiritus vitalis tàm influus, quàm subinde insitus, hinc inde asseratur, cujus obiter tàm pro cognitione, quàm curatione morborum, ratio exacta semper & omninò habenda est.*

Confirmant universale hoc morborum efficiens ulteriùs morbi hæreditarii à patre, v.g. pthisico, podagrico, nephritico, melancholico, &c. communicati, qui non nisi ∽ genitalis ratione a patre in filium transvehuntur, qui suo tempore à patre conceptam alterationem, sive materialis sive idealis fuerit, explicans, similem morbum in filio producit. Par ratio est in Imaginationis Operationibus, non tantùm in prima corporis efformatione, sed etiam morbosa ejus alteratione, hujusque curatione, nempe imaginationis, tam supra quam infra potenter purgantur: Vid. *BARTHOLINUS Centur. 5. Histor. 64.* M. A. N. C. *Ann. 3. Observ. 152. Ann 6. Observat. 238.* & *Ann. 9. Observat. 194.* Hujus vi subinde morimur, teste *HENRICO ab HEER Observat. 71.* item *KERKRINGIO Spicileg. pag. 92.* Hujus vi orta fiducia in Medicum, vel remedium, ut graviores etiam affectus curentur: Vid. *SALMUTH C. 3. Observ. 81.* Multos absque odore ullo percepto, viso tantùm Pharmaco, aut mentione saltem ejusdem factâ, sufficienter evacuatos fuisse, *HOFFMANNUS in Methodo Medendi l. 1. cap. 8.* testatur; atque id, qua ratione fieri queat, omnium optimè edocuit *PEGERUS Dissertat. 1. de Glandulis Intestin. P. 2. cap. 7.* Plures historias quorundam, quibus solo odore Purgantium alvus fuerit mota, videbitis in *BOYLE de Natura determ. effluv. cap. 5. & c. 6. de Insigni Efficac. eorundem, SCHNEIDERO de Osse Cribriformi, BININGERO Centur. 2. Observat. 86. HOCHSTEDTERO Decur. 4. Observat. Casu 8. in scholio, SALMUTH Centur. 3. Observ. 8.* Quicquid autem hæc præstat, ∽ impetum facientis vi & potentiâ saltem & immediatè efficere valet: ut taceam opium, maximè ad catholicas panaceas accedens auxilium, saltem omnium ferè symptomatum remedium, quod non nisi ∽ impetum in morbis & symptomatis cohibendo, operatur. Nec alia ratione vel transplantatione inducti, aut sympatheticè levati, aut simili ratione curati morbi, quàm ∽ hujus, morbi & sanitatis primi Autoris, virtute, orti & curati fuerunt.

Meritò igitur & rectè Helmontius Principium hoc vitale in omni urget morbo, illud, ceu primum sanitatis & morborum Autorem, considerans, à quo etiam omnia symptomata, tam immediatè, uti sunt symptomata actionum læsarum, quàm mediatè, uti symptomata in excretis & qualitatibus mutatis, originem ducunt. Sed hæc ipsa non intelligenda sunt exclusivè, quasi contenti succi & partes corporis continentes organicæ simpliciter se passivè habeant, sed potiùs inclusivè, ita, ut dictus ∽, ceu elater in automato nostri corporis unà cum reliquis rotulis, & partibus organicis seu instrumentis, & partibus liquidis, ceu succis fundamentalibus, operationes suas exerat. Hinc dictus ∽ sanguinem circulariter moveri cogit, sed mediante organica cordis & vasorum structura. Idem spiritus spasmos varios excitat, sed mediante fibrarum certa mechanica textura, & mediante irritatione partis cujusdam sensibilis. Idem spiritus hæmorrhagias excitat, sed mediante vel anastomosi, vel diæresi vasorum: hinc scorbutici, hæmorrhagiis admodum obnoxii, non tam spiritus, moventis vitio, quàm sanguinis serosi acrioris culpâ.

Superest adhuc, ut methodo ab Autoribus in Fundamentis mediis receptâ pergamus ad *Symptomatum Causas.* Quod attinet Causas symptomatum, dixi, quod symptomata sequantur morbos, tanquam umbra suum corpus: Dixi etiam, quod sint mutationes in & extra corpus; Ergò *omnia sym-*

symptomata oriuntur à Morbis, & Causa eorum erunt ipsi Morbi. Ratione verò Causæ symptomata ingenere dividuntur in symptomata Morbi, symptomata Causæ Morbificæ, & symptomata symptomatis. Sed divisio hæc minùs adæquata est. Pressiùs jam ostendenda est Causa spmptomatum ex Morbis, nempe primarium in Actionibus læsis, quod immediatè sequitur morbos, nilaliud est, quàm Actionum læsiones, sicut actiones sanæ, sanitatis signa, ita ut partium constitutione læsâ earum functiones necessariò lædantur. Jam verò omnes Actiones in corpore fiunt per motum; motus verò omnis, qui huc facit, est vel Partium liquidarum vel solidarum. Liquidarum partium Motus est intestinus, fermentativus dictus; Partium solidarum Motus est instrumentalis externus seumechanicus, per organa certa peractus. Si ergò læduntur Actiones, quæ fiunt per motum fermentativum, succorum fit depravatio & alteratio, hinc superveniunt excretionum alterationes, & inde varia in Excretis & Retentis symptomata: si propter fermentationem succorum læsam læditur Nutritionis negotium, oriuntur Qualitates in corpore mutatæ, & consequenter motus organici vitiantur. Patet ex his, quod symptomata primaria sint in Actionibus læsis, secundaria in Qualitatibus mutatis, & in Excretis & Retentis. Distinctio hic facienda est: Aliud enim est vitium Excretionis & Retentionis, & aliud in Excretis & Retentis. Illud v. g. est mucus, alvi fluxus, nimius vomitus, &c. quæ sunt symptomata Actionis læsæ in Excretione & Retentione; econtrà si flava, viridia, &c. peralvum excernantur, sunt symptomata in Excretis, & sic in reliquis. Hæc est generalis sciagraphia symptomatum.

Ulteriùs monendum, ne confundantur symptomata Actionis læsæ cum operibus naturæ & erroribus externis, v. g. siquis nimium edit, quàm stomachus ferre potest, & sic vitiatur digestio, tunc non est symptoma morbosum, sed læsio ab errore externo. Dicitur enim Actio læsa, quando positis omnibus ad agendum requisitis, Appropriatis præsentibus, & sic objecto ritè se habente, tamen non ritè fit Actio; cùm verò Objectum peccat in Quanto, non est vitium in Actione, sed est quasi neutrum inter naturale & præternaturale. De operibus naturæ major difficultas est. Ut tamen dilucidem, observandum, omnes Actiones auctas & depravatas fieri naturæ vi & impetu, v. g. vomitus, cordis palpitatio, singultus, convulsiones & similia, fiunt & vi & impetu naturæ. Aucta enim & depravata Actio est saltem modificatio Actionis præternaturalis, & omnia hæc symptomata sunt Opera naturæ, fiuntquè vi & impetu naturæ.

Quæritur, quare referantur ad symptomata & præternaturales Actiones? Respondeo distinguendo. Hujusmodi Actiones fiunt vel vi morbi vel causæ morbificæ, ita lædentis partes, ut consequenter tandem usus & actiones partium cessent. Scilicèt talis præternaturalis & impetuosa actio est, ut quasi natura coacta vi morbi instituat tales depravationes, & sic dicitur symptoma; Quando autem blanda fit irritatio, secundùm quam natura sponte suâ insurgit, ut removeat rem præternaturalem cum euphoria ægri, Actio est naturalis: v. g. si *vomitus*, qui est conatus naturæ per stomachum, *vi & malignitate causæ morbosæ*, quæ *cogit* & impetu stomachi incitat naturam, ut tandem planè *fatiscat robur stomachi*, & natura prosternatur, *Vomitus est symptomaticus*; sin verò tales superveniant vomitus in morbis, ubi à natura sponte insurgente excernitur causa morbosa, idque cum euphoria ægri, tunc opus est naturæ ritè removentis. Hinc distinguendum est inter *mutationes symptomaticas & criticas*, quæ, quoad circumstantias proximas, sunt unum & idem, differunt tamen aliquo modo, ratione fundamenti, v. g. si *quis sudat* die *septimo in acutis*, & *alius die primo, secundo & tertio*, est *una eademque actio*, & ubique sudor copiosus; *differt tamen toto cœlo.* Ille *fit cum levamine morbi & ægri valitudine*; hic *fit vi morbi, tenditque in perniciem* ægri; Ille *est criticus & salutaris*, hic est *symptoma periculosum.* Differunt in eo, quod *ille* sit *opus naturæ à spontaneo ejus conatu expellentis causam morbosam*, hic symptoma sit naturæ coactæ, à vi & malitia causæ morbosæ proveniens, indeque præternaturalis & symptomatica, & rectè dicitur mutatio. Sic v. g. ponam mulierem, cui mictus cruentus supervenit ex suppressione mensium, item ponam aliam mulierem, cui *variolis laboranti etiam supervenit mictus cruentus*: hic *in variolis signum est pessimum*; *ille ex mensium suppressione optimum*: hic enim est opus naturæ nonnihil aberrantis in naturali cursu; hic fit ex malitia morbi & malignitate causæ, vasa erodentis, unde gangræna, & consequenter mors. Hæc in genere.

In specie quod attinet symptomata, dividuntur in symptomata actionum læsarum secundùm actiones animales, quæ respiciunt vel individuum vel speciem. In excretis & retentis dividuntur secundùm digestiones, ita ut sint proximæ, secundæ & tertiæ: In mutatis qualitatibus secundùm 5, sensus externos dividuntur. Res est facilis, nullius ponderis. Jam à quibusdam tractari solent ea in specie in Institutionibus, sed malè; horum enim specialis Tractatio pertinet ad praxin specialem. Et sanè, si Institutionistæ symptomata tractant, fit vel accuratè, quod tamen fieri nequit, quia cura & praxis subnectenda esset, vel superficialiter, & tunc fit cum dispendio temporis, & sine perfectione Lectoris. Ergò supersedeo hîc, & forsan alio tempore dabitur occasio, specialiùs ea explicandi.

CAP.

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0242-6 DFG

CAP. IV.

DE SIGNIS MORBORUM.

Signum est aliquod *Notum*, aliud *Ignotum manifestans*. Hoc autem *Ignotum* consideratur vel ratione

I. *Objecti*, quod vel sanum, vel ægrum, vel neutrum; unde Signa vel
- 1. Salubria. } quæ indicant vel { 1. Sanitatem, vel Causam vel Effectum } est omnibus hisce cõmune subjectũ.
- 2. Insalubria. } { 2. Morbum, vel Causam vel effectum
- 3. Neutra } { 3. Statum in omnibus neutrum.

II. *Temporis*, quod vel præsens, vel præteritum, vel futurum; unde Signum ratione
- 1. Præteritorum *anamnesticum*.
- 2. Præsentium *diagnosticum*, quod consideratur vel ratione
  - (α) Objecti manifestandi ratione morborum, sunt vel
    - a. Essentialiter Inhærentia, & signa sunt manifestantia seu δηλωτικὰ
    - b. Adjuncta, & conditionem ostendunt, suoque Concurrentia, συνεδρεύοντα.
    - c. Mutationem, & sunt ἐπιγινόμενα.
  - (β) Modi Manifestationis, sunt vel
    - a. Communia.
    - b. Propria, & hæc vel
      - 1. Inseparabilia tantùm, quæ semper huic vel illi morbo competunt.
      - 2. Propria tantùm, quæ soli, sed non semper,
      - 3. Propria & Inseparabilia simul, παθογνωμονικὰ, quæ soli & semper
- 3. Futurorum *Prognosticum*, quod prædicit vel
  - (α) Eventum, unde vel { 1. lethale / 2. non lethale.
  - (β) Tempus Eventus, Coctionis & Cruditatis.
  - (γ) Modum Eventus, unde sunt signa { Critica. / Non-Critica.

vid. *KYPERUS l. 3. cap. 2. & 3.*

Dixi superiùs, considerandas esse tres Partes Pathologiæ, Morbum, Causas & Symptomata. Restant *Signa diagnostica* & prognostica. Quoad diagnostica, ostendunt hæc morborum causas, quibus cognitis facilè pervenire licet in cognitionem morborum, & eorum Causas. Præmonenda autem quædam hîc sunt de Signis in genere: Cùm non sufficiat *Medico* morborum naturam, & eorum fiendi modum perspectum habere, nisi etiam easdem ritè cognoscere queat, propterea necessariò eorum *Diagnosis* subjungenda erit. Nam cùm ipsæ Causæ morborum subinde non minus quàm morbi, partesque affectæ, in obscura lateant, ob id per media certa, signa diagnostica dicta, hæc tria perscrutanda sunt à Medico.

Signum est aliquid notum sensibus, alterum quod occultum seu *Ignotum, scitu tamen ad curationem necessarium, patefaciens.* Notum hoc est aliquid in sensus incurrens, vim obtinens rationi seu intellectui per rationes aliquid sistendi, quod sensus effugit, quatenus eundem determinat, ut per ratiocinationem ex noto sibi Ignotum patefaciat: e. g. quando conspicimus fumum, concludimus subesse ignem, qui fumus sensibus aliquid notum est; ignis verò Ignotum: ex fumo tamen intelligimus & concludimus subesse ignem. Vis autem hæc & fundamentum, quo intellectui ex signis noto aliud ignotum patefit, fundatur in noti cum Ignoto, vel signi cum signato, cohærentia certa; quæ si necessaria, signa exinde emergunt necessaria, qualia sunt paucissima, & aliàs etiam *Pathognomonica* vocantur; sin verò ista cohærentia est, tantùm probabilis & contingens, signa exinde fiunt probabilia seu non-necessaria. Vid. *GORRAEUS pag. 326, SEIDELIUS de Urinis pag. 7. KYPERUS in Institut. p. 3. cap. 2. §. 6.*

Ea quæ hoc modo cohærent, sunt tanquam Causæ & Effectus, & contrà: item talia, quæ se invicem, sivè necessariò per se, ut nempe unum succedat altero, sive sit naturale, sive præternaturale, aut per accidens subinde se invicem consequuntur; item, quæcunque alio modo inter se connexa sunt.

Signa dividuntur vel *ratione Objecti manifestantis*, vel *ratione temporis, cujus Objectum est manifestatum.* Ratione Objecti manifestantis, quod est vel sanum, vel ægrum, vel neutrum; signa porrò distinguuntur vel in salubria, quæ sanitatem ostendunt; vel non-salubria, quæ statum ægri ostendunt, ut sunt appendix ad Partem Pathologicam; vel neutra, quæ ostendunt statum neutrum, pertinentque ad Theoriam de rebus Non-Naturalibus. Hæc autem divisio nullius est ponderis.

Potiùs dividuntur in ea, quæ ratione temporis manifestant vel rem præteritam, & dicuntur *Anamnestica*, quæ tamen nullius sunt ponderis; vel præsentem, ut *Diagnostica*; vel futuram, quæ dicuntur *Prognostica.* Signa præsentia, diagnostica, subdividuntur vel ratione Objecti manifestantis, scilicet morbi, vel ratione modi manifestandi. *Signa diagnostica, ratione Objecti, sunt triplicia:* Nempe vel
1. Monstrant *naturam morbi*, ejus *essentialiter Inhærentia*, & vocantur signa dilotica; vel
2. Monstrant *conditionem & Adjuncta morbi*, & quidem vel malignum vel benignum, & dicũtur Synedrevonta; vel

3. Mutationem morbi in pejus vel melius, & dicuntur Epigenomena.

Signa diagnosticaratione modi manifestandi, sunt *vel Communia* pluribus morbis, vel *Propria* certis quibusdam Affectibus. Communia sunt, quæ pluribus adsunt morbis: e.g. Imbecillitas virium, Tussis, vertigo oculorum, alvus adstricta, &c. quæ parum certi demonstrant. Propria sunt triplicia: vel

(1) Inseparabilia tantùm; vel
(2) Propria tantùm, vel
(3) Inseparabilia & Propria simul, & dicuntur *Pathognomonica.*

Inseparabilia sunt, quæ omni tali affectui, sed non soli competunt: e.g. sputum cruentum propriè in omni pleuritide, sed non soli, convenit; siquidem & in aliis affectibus observatur. *Propria* sunt, quæ soli alicui affectui, sed non omni, competunt, ut e. g. Carbunculi & Bubones maligni sunt signa, quæ conveniunt febri pestilentiali soli, sed non in omnibus adsunt: nam dantur febres pestilentiales cũ petechiis atque carbunculis. *Inseparabilia & propria simul*, sunt quamplurimorum concurrentium signorum syndrome talis, quæ omni, soli & semper competit alicui affectui, eumque in specie manifestat, unde signa hæc dicuntur Pathognomonica, ita ut posito affectu ponatur signum, & posito signo, necessariò adsit vel sequatur affectus. Signum tale in febribus est pulsus frequens à causa interna præternaturali: sic calor aliquot horis à pastu exasperatus verũ & pathognomonicum febris hecticæ signũ est. *Pauca dantur talia signa pathognomonica*, unum alterumvè vix habetur solùm, sed plura signa simul observata & invicem collata, naturam pathognomonicorum inducunt. Sic v.g. Tussis cruenta, Febris acutus dolor lateris, & Respiratio difficilis, seorsim nil significant; conjunctim verò constituunt signũ pathognomonicũ pleuritidis: his 4. positis, ponitur Pleuritis, sejunctis verò tollitur. Sic porrò gravia Tormina abdominis cum copiosis excretis, vel saniosis vel sanguinolentis, seorsim considerata nihil innuunt; conjunctim verò omni & soli dysenteriæ competunt, hujus signum pathognomonicum constituunt. Et hæc de Signis diagnosticis.

Quod attinet signa *prognostica*, quæ futura monstrant, sunt triplicia:

1. *Eventus.*
2. *Tempus Eventus.*
3. *Motus Eventus.*

Ratione Eventus sunt vel lethalia, vel non-lethalia seu sana, quæ prænunciant aut ægrum moriturum aut convaliturum. Ratione Temporis Eventus sunt signa Coctionis & Cruditatis, monstrantia longitudinem vel brevitatem morbi, an longus vel brevis existat, seu an patiens brevi aut tarde reconvalescat. Ratione modi Eventus signa sunt vel critica vel non-Critica. Critica sunt, quæ præmonstrant ægrum per subitaneam mutationem solutum iri: Non-Critica sunt, quæ sine subitanea mutatione ægrum reconvaliturum monstrant. Missis his, per signa diagnostica præsentia cognoscenda necessaria Medico, quando Pathologum agit; cognoscat nempe

1. Morbum.
2. Partem affectam.
3. Causas.

Fontes Universales, unde signa pro his tribus cognoscendis Medicus hauriat, etiam sunt tres: Nempe desumuntur.

1. Ab *Antecedentibus, seu Causis*, tàm internis quàm externis, tàm communibus quàm propriis. Ad hunc fontem pertinet etiam subjecti patientis constitutio, quatenus exinde disponitur ad hunc vel istum affectum, tàm nativa ratione Idiosyncrasiæ naturalis, Proprietatum hæreditariarum, Sexus, &c. quàm adventitia ratione Ætatis, Victus, Vitæ Generis, &c.
2. Ex *Consequentibus seu Effectis*: quo omnia tria symptomatum genera pertinent; uti etiam Pulsus & urina, nec non Juvantia & Nocentia. Et
3. Ab *essentialiter Inhærentibus*, seu Objecto cognoscendo propriè attributis, quæ morbo vel causæ necessariò insunt, & locum affectum necessariò comitantur, i.e. ab ipso affectu præternaturali sensibus ipsis interdũ satis manifesto. Quo omnia, quæ quacunq; ratione cognitionem Medici dirigunt, facilè referri possunt.

Primaria sunt hæc Signa.

In genere, *quæ à Medico sub primo ad ægrum ingressu pernoscenda* sunt, aptè explicat *HIPPOCRATES lib. de Affectib. Textu 36.* ubi terminos Quæstionum præscribendo sequentia Medico agenda monet, inquiens: *Cùm ad ægrum deveneris, interrogare oportet, quæ patiatur, & ex qua causa, & quot jam diebus, & an venter secedat, & quo victu utatur:* Medicus nempe interroget:

1. Quæ patiatur? Ut morbum rectè indagare possit.
2. Ex qua causa? Unde derivetur? quod fundatur in scrutinio 6. rerum non-naturalium.
3. Quot jam diebus? ut cognoscat Tempus morbi, an in principio sit, in incremento, in statu? ut instituatur Critica supputatio.
4. An venter secedat? clausâ enim alvo totum corpus debilitatur.
5. Quo Victu utatur? hunc in finem, ut cognoscat digestionis & stomachi statum: item, quâ ratione se habeat in Appetitu ad ea, quæ offeruntur?

Hæc in genere monet *HIPPOCRATES* pro Institionistis: quorum uberiorem explicationem videbitis in *Institut. KYPERI l. 3. cap. 4.*

In specie tria observanda Generalia dixi; Morbum, Partem, & Causam morbi. Variant hæc speciatim secundùm dictas tres universales signorum Fontes. Et ne vos hâc in parte, cum aliàs res sit facilis, detineam, paucis me absolvam:

1. *Locus affectus cognoscitur ex Antecedentibus* seu *Causis* prægressis, quæ hanc vel illam partem potuerunt lædere: v. g. si Aurifaber conqueratur de difficili Respiratione, mox à causa antecedente prægressa, nempe à fumo venenoso metallico, pulmones esse læsos, concluditur: si sanguinis ejectio cum tussi adfuerit, læsio in vasis pulmonum colligitur: si sine tussi effluat sanguis, cognoscimus læsionem esse solùm in faucibus.
2. *Ab essentialiter Inhærentibus*, à proprio partis situ petendis: e. g. quando quis conqueritur de dolore hypochondrii sinistri, colligitur affectum esse Colon, & morbum esse *Colicum*: si dolor infra umbilicum, vel in dextro hypochondrio, colligitur affecta esse intestina tenuia: si de paralysi pedum conqueratur patiens, sine manifesta causa, nervos esse affectos, signum est.

An verò *pars per consensum*, an verò *per essentiam affecta sit, monstrant.*

1. Jam

1. Jam dicta Antecedentia, si quacunque læsione pars est affecta ex læsione partis alterius, cujus læsio præcessit, affectus fit per consensum.
2. Cognoscitur per effectus & consequentia, quando læsa actio unius partis sequitur actionem læsam alterius partis.
3. Per essentialiter Inhærentia, si nempe propter situm & connexionem afficiuntur partes, e. g. quando quis percutitur in os sacrum, & pes stupescit.

Morbus & Conditio ejus cognoscuntur.

(1) Ex Causis antecedentibus, in specie in rebus non-naturalibus antè prægressis: e. g. si grassantur morbi epidemici, vel æger fuerit versatus in loco contagioso suspecto, conjicere possumus, quod talē lethalem contraxerit morbū.

(2) Ex consequentibus actionis læsis; nempe per symptomatum syndromen cognoscitur ipse morbus.

(3) Per essentialiter Inhærentia, aut Proprietates ipsis morbis proprias: v.g. quando mulieres syncopticæ conqueruntur de strangulatione faucium, conjicimus eas esse affectas passione hystericâ.

In specie morbi, an sint benigni, an maligni? ex iisdem tribus fontibus cognoscitur: v. g. Antecedentia sunt Morbi Communes: Consequentia sunt symptomata graviora, insolentiora, periculosiora &c. quæ insinuant malignitatē. Inter talia periculosiora primatum obtinet virium prostratio gravis sine Causa externa: essentialiter autem inhærentia innuunt Morbum esse vel malignum vel benignum. Sic Lues Venerea, febris petechialis, dysenteria epidemica &c. ex sui natura innuunt mali esse moris, & malignas.

Actum hactenus est de loco affecto & morbo cognoscendo: Pergimus *consideraturi nunc, qua ratione Causa morbosa cognoscenda?* ubi tres fontes suprà recensiti observandi, nempe Antecedentia, Consequentia, & essentialiter inhærentia. Ad Antecedentia spectat considerandus usus rerum non-naturalium, è quibus una & altera causa Morborum generatur; hinc est, quod tempore æstivo magis inclinent homines in morbos acutos, propter ⊖ volatile oleosum massæ sanguineæ, tunc nimis exaltatum; tempore hyberno facilis conjectura est morborum chronicorum, facilèquè patet Causa oriunda ex præternaturali Acido vel Viscido. Quo pertinet conversatio cum ægris in locis suspectis & contagiosis, ejusque dispositio. Quod concernit Consequentia, ea ostendunt symptomata. Hic Causa primariò peccans, in specie in excretis, est observabilis, examinando saporem, colorem & odorem simul, ut his collatis perveniamus ad perfectam causæ & morbi cognitionem. Item ad hæc pertinent Iuvantia & Nocentia dicta, h. e. remedia, quæ juvant restaurando Vires ægri, & nocent intendendo Morbum, & consequenter vel Causæ morbificæ resistunt, vel eandem promovent. Helmontius à Iuvantibus & Nocentibus hîc desumptam cognitionem pudibundum signum vocat, &, non expectandum à Medico effectum medicamentorum esse, urget: si enim certus in arte sua est Medicus, non opus habet expectare successus medicamentorum, quæ expectatio interdum cum prostratione virium ipsiusquè ægri interiru, fieri solet. In casibus autem intricatis, in specie in rebus, ubi per Analogismum agere necesse est, in Iuvantibus & Nocentibus non ultima cognitio causæ morbosæ latet. Denique dixi, desumi cognitionem Causæ morbosæ à subjecto essentialiter inhærentibus. Desumuntur autem hæc à constitutione ægri: quo pertinent signa, quæ habentur pro signis Temperamentorum, quæ partium Temperiem insinuare perhibentur: Ita multi de Intemperie cordis, cerebri, pulmonum, &c. multa referunt. Res est nota & inanis. Nam Temperamentum partium vitale ratione caloris est in sanguine; prout variat textura sanguinis, omnes reliquæ partes sanguineæ variabunt. Constitutio ægri monstrat statum sanguinis, prout scilicet sanguis vel acidior vel alcalinus.

Sed an absentis, & per longa locorum intervalla dissiti, status sanitatis cognosci possit per Media Magica naturalia, ab aliis dicta Sympathetica vel Magnetica? negotium est altioris indaginis, & uti non omninò rejiciendum, ita *nil* temerè asserendum, aut blasphemè effectus naturales diabolo tribuendi. Notum siquidem est, Nobili Bruxellensi in patria, friguisse & putruisse subitò nasum eô tempore, quo bajulus, ex cujus braccio excissus fuerat, Bononiæ mortuus est: Vid. *HELMONTIUS de Magnet. Vulnerum Curat.* § 27; Et mater lactans, absentis infantis novit ejulatum lac poscentis, ex compressione & quasi vellicatione mammarum; dum ursus hyeme pinguescit in specu somno sepultus; adeps vel pinguedo ursina in pyxide asservata, intumescit & quasi augetur; gallina ovis incubans, si in iisdem ædibus ovum assetur ex iis, intereunt pulli exclusioni vicini, &c. De canibus constat, quod si quis frustum panis recipiat, & sub axillis applicet, ut insensibili transpiratione & sudore benè imprægnetur, & ei postmodum propinetur, tunc canis talem hominem vix unquam deseret. Hic nota est sympathia inter Consanguineos, dum e. g. fratres Germani vel gemelli, multis milliaribus sæpè dissiti, iisdem tamen conflictantur morbis, in specie variolis, licèt hæ in altero loco omninò sint tunc temporis inusitatæ. Referenda huc sunt singularia exempla similis sympathiæ à *BORELLO Centur. 2. Observat. 47*, & *BARTHOLINO Centur. 5. Histor. 79*, memorata. Propter hæc & similia experimenta nil inconsideratè judicandum; dum refertur, quod ∼ sanguinis alicujus viventis, vitro Hermeticè clauso impositus, monstret sanitatem & morbus ejus, cujus est sanguis, licèt longè absentis, mutatione coloris & consistentiæ in clarum, rubrum turbidum, lividum &c. in febribus, ictero, melancholia, &c; vel dum *IOHANNES ERNESTUS BURGGRAVIUS* incendit vel præparat biolychnium seu lampadem vitæ ex sanguine viventis, cujus flammula pro varietate coloris, splendoris, motus, &c. certissimus sit sanitatis vel morbi index, sicut sui extinctione mortem insinuet ejus, ex cujus paratum sit sanguine: vid. *Autor in pecul. Tractatu*, & *BEGUINUS in Tyrocin. Chymico l. 3. cap. 1. pag. 445.* Id quod etiam *SCHMUCK Thesauro Medico, Secreto Physico* 18. per herbam Telephium dictam inverso modo suspensam perficere tentat, quæ suo virore, flacciditate vel ariditate sanitatem & morbum vel mortem peregre profecti, hæredibus domicilii monstrare debet. Alii eundem effectum expectant per imaginem pictam cujusdam absentis: quod tamen valdoperè Magiam non-naturalem sapit.

Signa inter hæce, tàm quæ in *diagnosi*, quàm etiam *Prognosi*, locum habent, primatum obtinent ea, quæ virtutis vitalis rationem in sanguine fundatam immediatè designant, & *ex* ⊙ *& pulsibus desumuntur.* Sunt quidem deceptorium vulgi; veris autem Medicis inserviunt pro exacto scrutinio Causæ Morbificæ. Duplex autem est ⊙i alia, *Potus*, qui ex primis viis ad vias urinarias seu ad

vesicam defertur, alia *Urina sanguinis*, quæ transcolatur per renes, & colando beneficio fermenti urinarii separatur & defertur per ureteres ad vesicam.

Nam uti *Urina potus* monstrat alimenti in primis viis alterati, & digestionis primæ & secundæ, mediante fermentativo motu ibidem peractæ, conditiones; ita urina *sanguinis* monstrat hujus constitutionem, ex particularum ejus liquorem componentium, imprimis salinarum, fermentatione oriundam, & prout ratione vel puritatis vel impuritatis cacochymicæ, coctionis & cruditatis subindè variat. *Pulsus* autem ipsius turgescentiæ & fermentationis vitalis in præcordiis insinuat statum, distributionisque sanguinis ex eo in omnes corporis partes rationem. Jam cùm à dicta turgescentia in pulmonibus, adeoque spirituascentia, dependeat vis vitalis totius corporis, consequenter rationes virium vitalium per *pulsum cognoscimus*, & *capimus Prognosin morbi & ægri*, ita tamè, ut diversarum circumstantiarum concursus *non raro fallax, minusque certum reddat judicium.*

Urina judicio, utut vulgus multùm tribuat, tamen ex earum inspectione nihil aliud potest colligi, quàm

1. Ratio *Chylificationis*, seu quomodo fiat *digestio prima* in stomacho, ejusque inde perfectio in intestinis.
2. *Status sanguinis*, prout ex ejus fermentatione resultat secundùm puritatem & impuritatem, indeque recrementa vel naturalia ⊖ina, vel præternaturalia multivaria separat & præcipitat.
3. *Status viarum urinariarum*, per quas transit urinæ, cognosci potest, utpote vesicæ urinariæ, renum & ureterum.

Aliàs ex urina nil potest cognosci. Vana sunt, quando multi asserunt, *posse ex urina dijudicari, an mulier sit gravida? An patiens sit mas vel fœmina? An laboret catarrhu, phthisi, cephalalgia, obstructione lienis, &c. quæ sunt nugæ, & simplicis plebis deceptiones.* Nil, quàm recensitæ partes, uti dixi, cognosci possunt; scilicet Digestio & Affectus stomachi, morbi massæ sanguineæ & viarum urinariarum, morbi chronici, & febres.

In urinæ inspectione sunt consideranda sequentes cautelæ.

1. Urina inspicienda colligatur peractâ jam digestione primis horis matutinis, & excretâ urina potus, ut habeatur urina sanguinis.
2. Urina inspicienda unâ vice colligatur, ne urinæ fusæ se invicem, & judicium Medici, turbent.
3. Urina una alteráve hora post excretionem inspiciatur, ne diuturnâ morâ mutetur, exindeque turbetur, & putrescenda corrumpatur & dissolvatur, quod imprimis tempore æstivo observandum est.
4. Inspiciens urinam nunc luci nunc umbræ obvertat: si luci, meliùs color; si umbræ, meliùs contenta perspicuntur.
5. Inspiciatur urina eminus (von oben n in) circũposito urinario vasi nigro vestimento, ut minutissima deprehendatur nubecula, quæ aliàs raro conspicitur.

Alias cautelas in examine urinæ ab aliis notatas, destillationes, Gustus, Inspissationes, cum alumine Præcipitationes, &c. negligimus, quia nihil cognoscitur, præter quantitatem contentorum ⊖ium. Ad hæc ejusmodi urinæ examina suspecta sunt, eò quod his mutationibus urina in textura sua insigniter mutetur, dum aliam consistentiam, colores alios, & alias qualitates accipit, quæ magis fallere, quàm judicium Medici promovere possunt.

De dicendis circa urinæ considerationem, observandum est, signa ejus certis in casibus sæpè fallacia esse:

1. In febribus & morbis malignis. Nam hi, quo magis tales, eò minus alterant & afficiunt urinam, ita ut in febribus malignis ægrotantium urinæ sanorum urinis simillimæ deprehendantur.
2. Urina insigniter variat pro ratione assumptorum alimentorum vel medicamentorum. Indaget ergò Medicus assumpta, ne in judicio fallatur: quædam enim urinam tingunt colore rubicundo, quædã reddunt suaveolentem.
3. Imprimis fallit judicum Medici, quando non rite attẽdit causas variationis urinæ naturales. Nam in latitudine sanitatis, vitæ generis, ætatis, diætæ, &c. naturaliter variat: e.g. *Urina adultorum* sanorum est *citrina, senum pallida, puerorum pallida & crassa:* qui *vitam sedentariam* agunt, *urinam copioso sedimento* saturatam; *actuosam qui vitam* agunt, *tenuem* cum paucis vel nullis contentis repletam emittunt.
4. Qui *delicato & generosiori victu utuntur, magis tinctas emingunt* urinas; contrà quæ vulgaribus vescuntur minus tinctas.

In specie in urina consideretur:

1. Ipse *liquor lixivialis* seu substantia continens.
2. *Ejusdem contenta* varia ipsi innatantia.

Liquor lixivialis exhibet:

1. *Consistentiam.*
2. Tincturam seu *Colorem*, ad quem refertur etiam ejus perspicuitas & opacitas.
3. *Odorem.*

Quoad *Consistentiam*, urina dicitur vel *crassa* vel *tenuis. Tenuis* est, quæ tenuiorem habet consistentiam: *Crassa* oritur à copiosis ⊖ibus oleosis, quibus liquor urinæ probè impregnatus est. *Tenuis autem* paucitatem particularum ⊖inarum manifestat, eaque utplurimum cruditatem tàm digestionis primæ quàm secundæ innuit; minus enim dissolvi & subigi ⊖ia ♃ea, & minus uniri cum liquore sero-so, indicat. *Consistentia* hæc urinæ naturalis media esse debet inter ☍ & ▽m, de cujus natura & origine sint sequentia *Experimenta:*

1. *Aliquando æstuosissimo tempore accepi* ⊡*e crassa* ℥ij ʒv: *his instillavi lixivii acris tartari & nitri invicem detonatorum* ʒiij, *& mox sub instillatione sedimentum candidum copiosum se præcipitabat,* ⊡ *clara supernatante. Post trium horarum moram instillavi* ∼ *vitrioli Philosophici* ʒiij ad ℥ß *circiter ad perfectam saturationem usque, & hinc successivè non solùm intendebatur* ⊡*e color, sed altero mane inspecta* ⊡ *nihil sedimenti exhibebat; nam omne resorptum erat, saltem nubecula levis apparebat, & arenulæ ruffæ plures fundum occupabant. Instillavi denuò lixivium præfatum ultra saturationem, & denuò copiosum sedimentum grumosum præcipitabatur*
2. *Accepi* ⊡*m naturaliter constitutam cum copioso sedimento albo, claro levi, pyrumydali, laudabili, &c. Parti primæ turbidæ instillavi lixivium præfatum, & subitò sedimentum candidum se præcipitavit, simile illi, quod spon-*

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0246-9 DFG

sponte se præcipitaverat: secundæ parti clarâ instillavi spiritum vitrioli Philosophicum, nulla turbatio, aut sedimenti extrusio, saltem coloris intensio sequebatur illius, viceversâ ⊡ae ab alcali turbatæ instillavi spiritum vitrioli Philosophicum, & omnia evanuerunt, ac ⊡ denuò clarescere cœpit: Ex opposito ⊡ae, per spiritum vitrioli Philosophicum medicatæ, parti secundæ instillavi lixivium istud, & subitò turbavi ⊡, ac sedimentum candidum seponere incœpit. Urinæ vero illi in qua post turbationem parti primæ instillavi lixivium præfatum, sedimentum permanebat, imò augeri videbatur; sed ex opposito ∽ vitrioli Philosophicus omne sedimentum absorbebat, & urina in naturalem faciem clarescere incœpit.

3. *Urinæ sanæ ℥iiß instillavi lixivii cinerum clavellatorum ʒij, unde mox seponebatur sedimentum, hinc instillavi ʒß ∽ nitri, unde levi prævia effervescentia resorbebatur denuò omne sedimentum. Ejusdem urinæ ℥iiß instillavi spiritum ⊖✕ci, hinc eadem Præcipitatio. Instillavi post 8. horas ∽ vitrioli ʒß, resorbebatur sedimentum maximam partem, sed non omne, unde adhuc binâ vice ʒß ∽ ejusdem instillare cogebar.*

Ex hisce Experimentis tales elici possunt conclusiones:

(1) In omni urina, præter liquorem lixivialem, naturaliter etiam alia contenta quasi chylosâ observantur, eaque, vel ipsi unita, vel ab ipsa sponte separata,

(2) Alcalia, Contenta ista naturalia separant & præcipitant, sive fixa sive volatilia fuerint.

(3) Acida, Contenta urinarum naturalia retinet, nunquâ eadem præcipitant, nec urinam turbant, quin potiùs ab alcalibus præcipitata sedimenta denuò solvunt, & quasi resorbent.

(4) Acida, quo magis retinent urinæ contenta naturalia, eò claram & perspicuam magis eam reddunt; Alcalia verò, quo magis eandem separant & præcipitant, eò turbidam & opacam magis urinam reddunt.

(5) Alcalia dum præcipitant urinæ Contenta naturalia, tenuiores eas simul reddunt; quædum resorbent, & liquori reddunt acida, crassiores urinas constituunt.

Patet ex his, Acidum urinæ salsum occultum esse, quod illius contenta cum menstruo detinet, unde crassities & perspicuitas dependent. Sanè eô ipsô, quo cæteras concretum urinæ constituentes particulas invicem concentrando ℞æ varietatem efficienter efformat, etiam simili ex ratione plura contenta, intimiùs cum liquore aquoso ceu menstruo uniendo, *crassam & suo modo spissiorem urinam* facit. Quin & ex unione ista intimiore particularum menstrui ⊖si solventis seu continentis, & corporis soluti seu contenti talis illarum continuatus odor ac series, interceptorum verò porulorum æqualis adeò situs emergit, ut hinc ex modificato lumine perspicuum & coloratum fluidum exinde oriatur.

Tinctura verò *seu color urinæ est ab oleo seu sulphure*, cum *sale volatili probè subacto & unito*, mediante Acido olei occulto: hinc est, quod Acida urinæ permista colorem intensiorem, alcalia verò remissiorem, concilient. Naturalis urinæ ℞ in homine sano citrina est, seu aurea, habitâ tamen ratione ætatis; in juvenib⁹ minùs est tincta, in viris magis, quàm in fœminis; quæ præternaturalem colorem, tàm deficientem, album, & plus minus pallidum seu spiceũ, bleichfarb/ quàm excedentem, fulvum, flammeum, croceum, viridem, rubrum, lividum, nigrum &c. tanquam norma determinat: Nam quicquid in defectu vel excessu peccaverit, præternaturale est. In genere color naturalis uti innuit digestionem naturalem, & debitam fermentationem chyli & massæ sanguineæ, & omnia ⊖ia ritè defæcata & à liquore separata; ita urinæ deficientes ℞æ ut plurimum cruditatem digestionis primæ, ejusq; deficientem à bile perfectionem, consequuntur: excedentes verò ℞æ aut fortem admodum lixivii percopiosa ⊖ia oleosa saturationem, aut præternaturalem in sanguine fermentationem, quâ dissolvuntur & subiguntur exactiùs ⊖ia cum sulphure, & intimiùs liquori continenti quasi incoquuntur seu uniuntur.

Unde oriantur varietates colorum, docebunt Experimenta sequentia:

1. *Urina naturaliter constitutain tres partes dividebatur: Pars prima sibi relinquebatur, Parti secundæ instillavi spiritum nitri, unde color sanguineus intensè rutilans successivè emersit, urina clara & absque sedimenti vestigio permanente: Parti tertiæ instillavi solutionem ⊖♃ acrem, & breviter urina turbida evadebat, colore multum remissiore.*

2. *Tempore Junii æstuosissimo accepi urinam naturaliter constitutam, sed paulò intensiùs tinctam ab agro transmissam, cujus etiam unâ pars per se asservata 24. horas citra alterationem persistebat. Secunda pars cum spiritu nitri fuit impregnata, & hæc successivè intensiorem colorem, ad sanguineum accedentem, sibi acquisivit, sed sine sedimenti vestigio. Tertia & quarta parti, alteri lixivium cinerum clavellatorum forte, alteri spiritum ⊖✕ci fortem instillavi, effectus utrobique fuit idem: nam sub ipsa liberaliori instillatione turbabantur, & candidum ac leve contentum extrudere cœperunt, quod in sedimentum abibat, adeò utrobique similis erat alteratio.*

3. *Accepi urinam pueri 6 annorum sanam & laudabiliter constitutam. Parti primæ instillavi phlegma vitrioli acidũ, undè successivè intensè color ad sanguineum gradum rubescere cœpit, & ita permansit. Parti secundæ instillavi partim spiritũ vitrioli, alii nẽpe parti, ℞ vitrioli, unde pedetentim color incœpit intendi ad insignem rubedinem, non tamen tantam, quantam phlegma vitrioli induxerat. Tertiæ parti instillavi lixiviũ tartari & nitri invicẽ detonatorum, unde liquor turbabatur, & hinc successivè sedimentum candidum satis capiosum præcipitabatur. Liquor supernatans aureo colore erat conspicuus, æqualis ad minimum pristino liquori.*

4. *Urinam febre tertianâ laborantis crudam, sanguineo colore tinctam, claram, & quæ diu ita permanebat, accepi. Parti primæ instillavi prædicti lixivii partem, & per plures horas absque alteratione steit, tandem post 8. vel 10. horas sedimentum candidum, crassum, inæquale, &c. seposuerat, urina aurei coloris supernatante, adeoq; ℞ erat notabiliter remissiori, utut sedimentum non adeò copiosum esset; tamen insignis crusta alba quasi glacialis vitro undique, quousque pertingebat urina, affixa erat. Parti secundæ instillavi spiritum vitrioli Philosophicum, hinc ℞æ seu coloris insignis intensio, & ad summam rubedinem exaltatio. Hinc accepi urinam illam cum spiritu vitrioli*

Philosophico alteratam, & instillavi præfatũ lixivium ad effervescentiæ usq; saturationem, hinc altero die considerata mistura copiosum sedimentum candidum seposuerat, & urinæ color in aureum mutatus fuit.

Ex quibus ferè sequentes Conclusiones elici possunt:

(1) *Acida colorem urinæ semper intendunt.*

(2) *Alcalia ℞m urinæ nunc remissiorem reddunt, nunc eandem minus sensibiliter immutant.*

(3) *Alcalibus Acida superaddita ℞m urinæ intendunt, sed rarò ad eum gradum adscendunt,* quem Acida sola attingunt: Alcalia verò Acidis superaddita interdum, sed ferè rariùs, colorem imminuere solent.

Color urinæ consideratur vel *materialiter* vel *formaliter. Materialiter oritur urinæ color à salibus salsis oleosis superfluis & effœtis*, primariò quidem volatilibus, secundariò etiam nonnihil fixis; quibus per accidens ⊖ esculentum se associat, de quo nulla urinæ notabilis mutatio infertur. Salia ista soluta latice aquoso chyli certam portionèm secùm vehũt, quam nunc retinent, nunc, ex parte remittunt, undè contenta urinarum in sanis dependent. *Formaliter Color urinæ dependet ex speciali ista particularum salino-oleosarum liquorem urinæ impregnantium cũ aliis textura*; unde per refractionem radiorũ lucidorũ & lucis modificationem color, quæ specialis textu ræ à nobis inexplicabilis, quia adhuc imperscrutabilis. Textura tamen hæc specialis materiæ illius in urina tingentis, seu Coloris urinæ fundamentum, videtur dependere efficienter & proximè ab Acido, quoad sensuum quidem immediatum judicium, occulto utpote ab associato oleoso & urinoso temperato, effectu tamen satis potente, utpote præcipuorum urinæ phænomenorum primario Autore. Neminem terreat Acidum occultum in urina, adeò ⊖ so-urinosa; nam sæpiùs Acidum quoddam aliudve acre inest rebus acerrimum, gustui licèt incognitum. Crystalli ☽ares amarissimæ sunt, concentrato tamen intensissimo nitri Acido turgenti, cujus ratione ἰσχαροτικὸν sunt: Crystalli saturni dulces, sive spiritu nitri sive aceto parati, sub dulcedine ista Acidum concentratum habent, unde etiam per alcalia præcipitabile est. Sub ⊖so ⊖✕ci sapore acidissim⁹ ⊖is communis ∽ latet reconditus. Modus ergò, quò Acida, tam Acidum urinæ insitum, quàm superadditum colorem, intendere queant, videtur mihi consistere in texturæ particularum à seroso urinæ latice dissolutarum arctiore unione; adeoque texturæ illius quasi concentratione, aut condensatione, ratione cujus copiosiores partim refringuntur, partim reflectuntur radii luminosi; pauciores verò tramite recto rejiciunt, unde quo longiùs à perspicuo abest, eò propius ad opacum accedit, & quo plus nigredinis aut saltem tenebrarum tali texturæ inest, eò in suo genere intendere colorem solet. Certè pro rarefactionis & condensationis, solutionis item, & præcipitationis legibus, sine materiæ materialiter tingentis additione, urina diversimodè in ℞ mutari poterit. Hinc citrinus seu flavus color quilibet facilè concentratione texturæ ad rubedinem plus minus intensũ assurgit: e.g. Aqua cõmunis sine colore est; si verò in ea dissolvantur ⊖ia fixa, aureũ vel citreũ, acquirit colore prout plus vel minus impregnata est à ⊖ibus. Confirmat hæc Mechanica, si destilletur ⊡ ad consistentiam mellis; mel hoc relictum ▽æ communis molem, aliquoties ⊡æ quantitatem superantem, ℞ista urinæ ℞à longè intensiòre, impregnabit.

Acidum hoc urinæ insitum originaliter, & quoad primam suæ scaturiginem, est ex primis viis, speciatim ventriculo, in hoc enim assumpta alimenta solent plus minus sensibiliter acescere, siquidem & ipsa Acido simili, vel manifestiore vel occultiore, copiosiore vel partiore, diversimodè impregnata sunt; sub chylificantis verò fermentationis motu acciditas ista undecunque nata, à vitali agente, mediante certo motu, ita modificatur & alteratur, ut nostris Constitutivis exactè assimilabilis reddatur.

Quoad Colores in specie, & quidem *in defectu*, oritur *Urina alba*, quæ est vel tenuis vel crassa. *Tenuis* fit ex summa Cruditate stomachi, & Fermentatione sanguinis non ritè defæcata. *Alba crassa* innuit eandem Cruditatem unà cum copiosis recrementis chylosis, cum urina ejectis, unde chylosa & lactea vocatur, quæ semper præsupponit digestionem primam læsam. Confirmat hoc *Observatio HORSTII*, qui observavit urinam emulsioni amygdalarum similem quam ante aliquot horas sumpserat æger. Talia mixtio lactea sine incommodo diu durans observata fuit à *PLATERO l. 3. Observationum p. 836.* frequens est infantibus propter voracitatem. Urinam lacteam in Cachexia observavit *SYLVATICUS Centur. 3. Consil. 29.*

Quod attinet *Colores in excessu*, datur

1. *Urina flammea seu rutilans*, hoch-roth / ad instar ∽ nitri sua destillatione.

Urina hæc observatur (α) *in febribus ardentibus*, & innuit insigniter auctum motum fermentativum sanguinis, & insignem ⊖ium cum particulis oleosis dissolutionem & subactionem, & fortem cum sero unionem. (β) Extra febres ⊡ flammea observatur *in Scorbuticis & Hypochondriacis*, propter copiosa ⊖ia urinam uberiùs impregnantia, ita ut tales ⊡æ igneæ sine effervescentia febrili sint. (γ) Urina adeò intensè tincta observatur quoq; *in Hydropicis*, quia uberrimè ⊖ibus sunt impregnatæ, quales etiam simul non nihil turbida excernuntur. (δ) *In phthisi* aliquoties observavi urinam admodum intensè tinctam & tenuem, hoch-roth / aber dünn / quo signo cũ tussi chronica de phthisi aliquis certus esse potest.

2. Occurrit urina intensè crocea, obscurè rubicunda, quæ semper innuit *Icterum*. Facile hoc patet, quando immittitur linteum, quod colore croceo obscurè rubicundo tingitur, quod nulla alia facit urina. Non autem hoc fit propter bilem sanguini admistam, sed propter corruptam massam sanguineam.

3. Ulteriùs observantur interdum Urina rubicunda instar sanguinis, qui color interdum oritur à sanguine, interdum verò non: in casu ab altò interdum sine sanguinis miscela ℞ sanguinea apparet, partim ob intensissimam fermentationem, partim ob uberrimam impregnationem & dissolutionem ⊖is & ♃is. Urina flammea excernitur interdum opaca & rubicunda sub cursu febrium, & innuit præcipitationem ⊖iũ vitiosorum copiosiorum ex massa sanguinea, quæ tantoperè tingunt Urinam.

4. *Urina nigra, livida, viridis, &c. observatur* vel in morbis acutis, vel in chronicis. In acutis semper malum signum est. Si tenuis, ferè lethale est omen, & signum mortificati sanguinis; si autem crassa, minus est mala, propter præcipitationem. Urina viridis in pueris spasmum, aut venenum potũ innuit, cujus exemplum videbitis in *FORESTO l. 18. Observat. 28. Urina nigra in malignis signum lethale est*; innuit enim certam putrefactionem massæ sanguineæ. In morbis chronicis incipientibus signum est, naturam degenerare in hydro-

dropem. Non autem semper malum signum est, quia sub progressu Curæ in morbis Chronicis & scorbuticis, imprimis ex Acido oriundis, post usum remediorum antiscorbuticorum superveniens, urina nigra & crassa bonum signum est; indicationem optimam & excrementorum præcipitationem ex massa sanguinea. Observatum etiam fuit in *ictero nigro* ex usu *lapidis Bezoar Urinas redditas fuisse nigras* instar atramenti, quod habet *HOEFERUS in Hercule Medico p.* 140.: & hoc imprimis usu venire solet in morbis ex splene ortis, vel cum ejus affectu conjunctis. Sic *SCHENCKIUS l.3. Observ. de Liene* refert, quendam lienis tumore laborantem per 15. annos, annuatim bis vel ter per urinæ profluvium instar atramenti, convaluisse. Rarum interim est, quod habet *BARTHOLINUS Centur. 5. Histor.* 90, urinam nigram ex usu nimio uvarum obortam fuisse.

Ad urinæ Colores pertinet etiam Corona, de qua multa dicunt; imprimis *BARTHOLINUS Centur. 4. Histor.* 16. eam inter capitis affecti signa refert, unde & ea urina spumosa in circulum abiens, signum catarrhi perhibetur ab *HOEFERO in Hercule Medico pag.* 30.: Sed est nullius momenti. Intelligunt per Coronam illud, quod margini urinalis, seu lateribus matulæ madefactæ, adhæret, quod tamen omnia humida faciunt: si enim matula est sicca, nil apparet. Plura de Coloribus Urinæ videbitis in *WILLISIO de urinis.*

Pertinet quoque ad Consistentiam urinæ *urina oleaginosa*, quæ dicitur sic vel ratione Consistentiæ, vel ratione innatantis Substantiæ. *Urina Oleaginosa ratione Consistentia est crassa & pinguis* instar Olei. Plerique dubitant, an detur? Affirmo, & confirmo artificio saponario. Simili enim modo, atque ⊖ alcali fixum, imbibens pinguedinem animalium in muria, abit in saponem; ita ☿ urinæ urinosum nimis acre, colliquefaciens corporis pinguedinem, imbibit illam instar lixivii saponarii. Raro tamen observatur, nisi in morbis, & in specie in febribus colliquefactivis, & fit propter dissolutionem pinguedinis.

Quod attinet *Urinam oleaginosam ratione substantiæ supernatantis*, est hæc, quando in ⊡æ superficie videtur quasi pinguedo, interdum vera, interdum apparens seu crusta ⊖ina, quæ facilè dignoscuntur. Quando enim ad latus adspicitur, si vera pinguedo, nullos habet colores; si verò ad lucem adspecta, **gegen dem Licht**, varios repræsentat colores instar iridis aut caudæ pavonis: Talis crusta non est pinguedo, sed copia ⊖ium inspissatorum & concretorum. Quando enim vera pinguedo adest, oritur plerumque ex renibus, & signũ est febris chronicæ, ad Hecticam inclinantis, à quibus à calore lento successivè liquescit pinguedo renum; Colorata verò non est. Quando autem sunt ⊖ia concreta, colorem repræsentant, & sæpiùs eveniunt in scorbuto & malo hypochondriaco, & est infallibile horum morborum signum.

Quoad *Contenta*, ea sunt nihil aliud, quàm partes chyli sanguini non assimilabiles, ex necessitate materiæ genitæ ab urina imbibitæ, quæ vel sunt solutæ, & tunc nulla visibilia Contenta in urina, vel sunt separatæ, & tunc triplicia *urinæ* contenta emergunt. Ex respectiva liquoris cum contentis textura oriuntur tot *urinarum* qualitates seu proprietates, ut in colore, Opacitate vel Pelluciditate.

Contentorum enim *ratione turbida* seu *opaca* interdum, interdum *pellucida* seu clara, conspicitur ⊡. *Hoc* dependet ab exacta unione & solutione particularum ⊖ino-oleosarum cum poris liquoris aquei, unde radii luminosi æquali tractu ferè maxima ex parte permeant sine insigniori ejus turbatione. *Illud* verò (nempe Opacitas) dependet ab eorum vitiosorum ex massa sanguinea separatione, & quasi præcipitatione, quæ duabus de causis, vel ab ⊼e externo frigidiusculo, poros liquoris constringente, & ita particulas imbibitas extrudente, vel ab interna causa, recrementorum nempe cacochymicorum ex massa sanguinea, mediante fermentatione, præcipitatione, & instar fæcum separatione, ut iis continendis & imbibendis non sufficiat latex aquosus, unde radii luminosi hinc inde impingentes in transitu prohibentur & obscurantur in humido corpore, liquorque fit minus perspicuus.

Urina clara innuit laudabilem digestionem primam & secundam, cœteris paribus; hinc tales urinæ, quæ successivis excretionibus perturbantur, per se sunt semper in morbis optimum signum, quia in acutis febribus, quo magis præcipitatis fæculentiis ex sanguine replentur ⊡æ, diversas recipiunt affectiones, adeoq; signum inchoatæ & continuatæ coctionis, ut vocant, materiæ morbificæ exhibent, eò melior est; contrario si se habeat modo, eò pejor: Nam si *clarescunt, & materia copiosa secedit, signum est perfecta præcipitationis particularum ex massa sanguinea.* Id quod in morbis Chronicis similiter obtinet, in quibus urinæ claræ & splendentes quando turbitæ fiunt, in ictero nigro, hydrope Ascite seu abdominis, malo hypochondriaco, &c. signum bonum sunt futuræ morbi solutionis, ob renovatam naturalem in sanguine fermentationem, indeque heterogenearum & non-unibilium particularum extrusionem; & hoc signum in scorbuto indicat, quod medicamenta antiscorbutica probè suo fungantur munere, si urina anteà clara, turbida & crassa ab eorum usu reddatur. Ingenere observandum quod, *in omni Urina turbida lateat absconditum Acidum plus minus excedens*; unde tales ⊡æ in morbis acutis interdum fermenti stomachalis & digestionis primæ redintegrationem, massæ sanguineæ depurationem, & naturalis fermentationis restaurationem innuunt: Contrarium fit, si alio modo se habeant. In morbis acutis rarò deprehenduntur turbidæ, cùm Acidum occultum vitiosum partes ⊖inas non præcipitet, ex qua præcipitatione aliàs turbatio urinæ accidit

Quoad *Odorem Urinæ*, hic naturalis omnibus est notus: Notetur Odor urinæ præternaturalis. Hujus varietatem ex assumptis sæpiùs esse, videbitis in *HORSTII Manuduct. ad Medicin. pag.* 187. *Urina fœtida*, si non est ex Assumptis, innuit sæpè morbum malignum, colliquescentiam massæ sanguineæ & putredinem pestilentialem, quod τεκμήριον est Italorum. Curiosum est, quod refert *HORSTIUS loco allegato* de *Medico cœco, qui solo odore urinas dijudicavit.* Urinæ violacei odoris, ex terebinthina adsumpta causam in ⊖ volatile urinæ, à terebinthinæ ⊖e volat. oleoso balsamico impræg̃natum, rectè refert *BORELLUS Cent. 2. Observat.* 33. *Sine manifesta autem causa Urina suaveolens in moribundo à BARTHOLINO* observata *Centur. 4. Hist.* 78. inter ea, quæ rarò contingunt, referenda.

Contenta in liquore lixiviali, ratione situs triplici modo distincta, in *Nubeculam*, quæ locum summum occupat, *in Encorema, seu sublimamentum*, quod locum medium, & *in Hypostasin* seu *Sedimentum*, quod locum infimum occupat, in sanorum Urinis rarò occurrunt. Differunt ratione majoris ac minoris

ris levitatis & tenuitatis: nam levia supernatant, & in sanis cruditatis chylosæ, vitio digestionis primæ coacervatæ, & consequenter sanguini non assimilabilis, sed à latice urinario absorptæ, indicium exhibent: Hinc juvenes & laboriosi tales urinas non habent, sed eorum urinæ sunt sine Contentis; econtrà infantes voraces, senes, Cachectici, &c. tales excernunt urinas, propter defectũ debitæ fermentationis. Si sæpè largiùs edimus, manè ordinariò excernitur ⊡ crudior suis contentis turgida, quæ sunt nihil aliud, quàm remanentiæ chyli vitiosi. Suspensũ seu ἰναμόρημα annulare, & in medio perforatũ, observavit *BARTHOLINUS in Centur. 3. Hist. 74.*

Materia Contenti hujus naturalis est portio chyli, sub digestione secunda seu hæmatosi tanquam ejus excrementum separatæ, & fermentativo motu præcipitata, hinc cum urina excreta. Non est autem chylus nutritivus seu laudabiliter constitutus: nam nunquam in exactè sanis sponte suâ tale contentum subsidere observatur, sed saltem in defectuosis; sive ex præternaturali subjecti vitio, sive nonnaturali objecti errato defectus talis oriatur. Præterea lac ceu chylus genuinus ab Acido, in specie spiritu nitri, promptè coagulatur, quod ab Alcalibus dissolvitur; & serum, sanguini grumoso supernatans, à spiritu nitri coagulatur in substantiam caseo-grumosam; est enim chylus sero dilutus nondum sanguini assimilatus, ab alcalibus econtrà dissolvitur: Contraria verò observantur in Contentis urinæ. Vitiosa ergò chyli protio, quæ nempe inepta est nutritioni seu assimilationi cum sanguine ac partibus solidis materiam Contenti hujus naturalem constituit. Jam verò si proprietates ejus consideremus, manifestum erit, cùm pinguia coagulentur ab Acidis, terrea verò ac urinosa ab iisdem dissolvantur, ferè sequi videtur, quod chyli, ceu Concreti ⊖si oleosi volatilis, partes minus mites, minusquè oleosis temperatæ, minusq; subtiles ac volatiles, adeoquè quasi asperiores ac rigidiores, uno nomine crudiores, sint istæ, quæ sanguini, utpote salino oleoso volatili liquori, minus uniri poterunt, adeoquè secedunt, & tale in ⊡ contentum constituunt. Uno nomine, chyli, qui cœpit sanguificari, pars crudior quasi caseosa est sanguificationi aliisquè usibus inepta, quæ ceu excrementum necessarium digestionis secundæ contenta hæc naturalia in ⊡ constituit. Cruditas hæc naturaliter solùm est ex materiæ vitio, minus aptæ ad perfectam resolutionem & volatilisationem.

Quantum seusuum fide hactenus constat, Urina est nil aliud, quàm immediatum excrementum lixiviale digestionis secundæ, constans latice aquoso superfluo, ⊖e ⊖so, nunc, & quidem maximam partem, volatili, nunc fixo, & quasi ammoniacali, particulisquè oleosis seu sulphureis uberrimè tincta, quæ omnia ex massa sanguinea secedũt. Copiosum phlegma seu aquosus latex, quod paulò antè nutrimenti vehiculum evadit, inutiles, adeoquè recrementosas, perque continuatum intestinum motum quasi attritas, ac arctius invicem sociatas ⊖ino-oleosas massæ sanguineæ particulas imbibit, easque unà cum intermixtis plus minus copiosis particulis chylosis, sanguini minus commode assimilabilibus, evehit. Quod si per ignem ejus instituamus Anatomen, saturatus deprehenditur copioso ⊖e volatili urinoso, adeoquè composito ex Acido volatili, effectu in ⊡æ concreto potentiori, & Urinoso volatili copiâ uberiori; adeoque ⊖e quodam ammoniacali impregnatus est, ut loquitur *MAYOW de spiritu nitri Aer. p. 160.* Quæ ipsa omnium reliquorum in corpore fluidorum ratione temperata sunt, intertextis pinguibus seu oleosis particulis; atque hisce modò dictis volatiles hujus concreti partes variè absolvuntur: Nam quem vinosum spiritum, utut paucum, quidam ex eodem elicere satagunt, artis potiùs, aut naturæ quandoque aberrantis, effectus esse videtur. Fixæ partes, præter terram mortuam, duplex ⊖ exhibent; esculentum unum cum alimentis assumptum, & cum urinæ liquore ad vias ⊡ias raptum; alterum fixum sui generis, ⊖sum quidem etiam, sed magis ad alcalisatorum naturam accedens, quale ut ex sanguine animalium, ipsius quoque hominis, utut in pauca quantitate, parabile existit.

Esse in Urina Acidum occultum, probat.

1. Salsus ejus sapor, quem ex conjugio Acidi & Urinosi genitum esse, comprobat Chymia.
2. Spiritus urinæ præparatio cum Alcalisati subjecti, si non simpliciter saltem ad majorem ejus copiam acquirendam, & celeriorem destillationem, necessaria additione, ut liberentur ab Acidi ligantis particulis spirituosæ urinosæ, ut loquitur *WEDELIUS in Pharmoc. p. 23*, dum alcalisatum scil. imbibit Acidum; ob quam rationem cum calce viva destillata urina mox spiritum volatilem reddit.
3. Quod per putrefactionem ~ urinæ adeò volatilis acquiratur, ut mox primo loco ante phlegma assurgere incipiat, quatenus in quavis putrefactione plus minus perfecta Acidi fit inversio & enervatio, cujus loco Alcali volatilis emersio & exaltatio, quod quotidiana rerum putrescentium confirmat Observatio.
4. Docet idem *MAYOW de spiritu nitri- aereo p. 160.* quod solutio ♃is in lixivio facta ab urinæ affusione, non secus ac à quovis liquore acido, præcipitetur.

Cùm itaque ⊖sus sit liquor ⊡æ, & naturæ instrumenta mechanica soleant esse ⊖ia, Acidum & Urinosum, commodissimum videtur etiam ⊖ium beneficio Uroscopiam medicam instituere, pro signis tàm diagnosticis quàm prognosticis in Praxi Medica firmioribus: Id quod per Experimenta omnium optimè innotescit. Sit ergò

Experimentum 1. Urina sana, etiam laudabiliter constituta, in duas partes divisa, infudi parti primæ solutionem ⊖ ✳ ci filtratam limpidam, hinc cum per aliquot ☌ ℞ stetisset, nulla alteratio aut immutatio observari potuit: Parti secundæ instillavi solutionem ⊖is communis filtratam, & cùm hæc etiam per aliquot ☌ ℞ stetisset, etiam nec minima Alteratio observari potuit.

2. Urina Febricitantis, copioso sedimento cocto referta, instillavi parti ejus solutionem ⊖is communis in ▽, & nulla mutatio in urina observari licuit, etiamsi ultra 18. horas stetisset, cùm aliæ ejus urinæ partes, Acido & urinoso tractatæ, turbarentur.

3. Urina crassæ intensè tinctæ, in duas partes divisæ, priori nitri quantum sufficit, posteriori ⊖is communis quantitatem sufficientem addidi: steterunt ita utraque per triduum citra ullam alterationem eadem facie, nec ab ⊡ sibi relicta, nec à se minimum invicem differentes. Die quinta verò urina cum sale turbari, situm contrahere in superficie, & fœtere nonnihil incepit, illâ cum nitro adhuc clara, & citra alterationem apparente, saltem quod in superficie quodam loco situm contrahere inciperet; adeoq; nitrum magis ⊡ condit, & diutiùs conservat, quam ⊖ commune.

Ex

Ex his talem elicere Conclusionem licet: *Salsa Urinas non mutant, nec quoad Colorem, nec quoad Contenta.* Ipsa nempe ⊡ ⊖sum est concretum, & si naturaliter constituta, utroque, Acido & Urinoso, saturatum, adeoque ex universali Oeconomiæ animalis lege temperatum, unde & sine præcipitationis metu ⊖sis miscibile existit.

Contenta hæc fuerunt ⊡æ *naturalia: Ad præternaturalia* nobis pergendum, quæ 1000 modis variant. In genere tamẽ in statu ægritudinis seu præternaturali sunt *vel Universalia*, ex massa sanguinea immediatè decidua, adeoquè totius corporis statum magis respiciunt; *vel Particularia*, quæ certæ cujusdam partis ex vitio communicantur, ut pus sub empyemate pulmonum, ex vitio renum, &c. Ex triplici fonte ferè originem habent: nempe *vel ex primis viis, vel ex massa sanguinea, vel ex viis Urinariis. Ex primis viis sunt* ⊡æ contenta v.g. in diabeticis quando assumpta cum urina inalterata exeunt, vel quando primarum viarum cruditates chylosæ cum urina excernuntur. *Ex sanguine verò* v. g. in scorbuticis, ictericis, febrientibus, &c. *Ex viis urinariis* v. g. Mictus cruentus vitio renum, ⊡ purulenta vitio vesicæ, &c. Contenta *Universalia* dividere placet in duas Classes, *Præcipitata & Coagulata. Præcipitata* sunt illa quæ ⊡s turbidas reddunt, & in iis plus minus secedendo pariter Nubeculæ, Sublimamenti & sedimenti nomine venire solent: *sunt nil aliud*, quàm *excrementa heterogenea*, massam sanguineam cacochimicam & cachecticam constituentia, quæ in morbis per fermentationem præcipitantur, & talia contenta in urina constituunt. Talia contenta exhibent signa Coctionis, i. e. subactionis materiæ morbificæ, quando natura segregat materiam morbosam ex sanguine, & præcipitationem recrementorum præternaturalium ex sanguine, à latice aquoso absorptorum; sicut v.g. Vinum fermentando deponit suas fæces; sic massa sanguinea in morbis. In principio urina est tenuis sine sedimento, in incremento crassior & turbida, in statu copiosa deponit sedimenta, quod est signum perfectæ præcipitationis fæcum ex massa sanguinea. De *hoc sedimento notetur* in genere, quod, si *habeat bonitatis notas*, quod *album & moderatè crassum in fundo hæreat, & in pyramidalem formam adscendat, sit optimum*; ab his autem degenerans, minus bonũ. *Coagulata sunt*, quæ Arenularũ, pelliculæ ac crustæ facie in ambitu urinæ se exhibere solent. *Præcipitata in febribus*, similibusque morbis acutis, vel imminentibus vel præsentibus vel declinantibus, Coctionis & Cruditatis pathologicæ signa, indequè vel morbi victoriam, adeoquè prognoseos palmaria fundamenta, suppeditare; *Coagulata* verò *in chronicis* morbis, ut plurimum diathesi hypochondriacâ plus minus scorbuticâ complicatis, causæ materialis peccantis, & inde natæ fluidorum corporum alterationis præternaturalis, non levia indicia reddere solent. Sit itaque.

Experimentum 1. *Offerebatur Urina rustici intensè tincta, obscura, rubra flavedine crassa: alteri parti instillavi lixivium cinerum clavellatorum, unde tenuior, clara & perspicua reddita fuit* ⊡, *obscuro colore in intensam rutilantem* ℞m *abeunte, quæ tamen in inferiori gradu videbatur, respectu prioris intensioris* ℞æ; *Alteri parti spiritum* ⊖is *instillavi, unde prior obscurus color idem permansit, si non obscurior redditus fuerit, consistentia crassa & turbida eadem fuit.*

2. *Urina mulieris gravidæ, febre continuâ non adeò acuta laborantis, cum copioso sedimento lateritio, instillavi lixivium cinerum clavellatorũ, & copiosius sedimentum album seu candidum reddebatur, ita ut copiam mirarer; ob id alterã medietatem recepi, & urinam claram cautè & exactè decantavi, relicto omni sedimentô in fundo, & cùm urinæ hujus claræ parti similiter lixivii illius sufficientem quantitatem instillassem, subitò quoq; copiosum sedimentum candidũ crassum præcipitabatur; ita ut alcalisata, præter Contentum præternaturale jam sponte suâ præcipitatum, ulteriùs Contentum naturale etiam præcipitet. Id quod patet ex simili Experimento, dum urinam post febrim tertianam excretam, cum sedimento perfectè cocto, liquore claro supernatãte filtratam, adeoq; claram, recepi, & solutionem cinerum clavellatorum instillavi, unde nihilominus urina turbari, & hinc sedimentum candidum naturale, præter istud relictum præternaturale, seposuit.*

3. *Offerebatur Urina Rusticæ crassa, turbida, &c. hæc per aliquot horas asservata lentè sedimentũ deponere incipiebat, unde agitatam probè urinã in duas partes divisi. Parti primæ lixivium cinerum clavellatorum instillavi, unde urina turbida subitò clarescere, & crassa attenuari incipiebat, & color aureus moderatè rutilãs emergere: sedimentum seposuerat nullum aliud, quã quale urinæ naturales ex alcalibus additis solẽt seponere, nempè paucum, leve, candidũ. Secundæ medietati instillavi phlegma vitrioli acidum, unde urina in antiquo crasso & turbido statu permanebat, & successivè sedimentum seponebat: tertiâ abhinc die considerata, turbida, obscurè tincta, cum sedimento arctè in fundo in grumulos molles coagulato, apparebat. Adeò subindè in statu præternaturali alcalia clarificant & constituunt urinas; Acida verò potiùs turbidas conservant, contrà atque in statu naturali fieri solent.*

4. *Urina Nobilis nonnihil hypochondriaci, pleuritide notha correpti, erat crassa, turbida, copiosissimis contentis præternaturalibus impregnata, cujus pars prima sibi relicta successivè clarescebat, & urinam naturaliter ferè constitutam, sed nonnihil intensiùs tinctam, exhibebat cum sedimento copioso, molli, levi, quasi lateritio. Parti secundæ instillavi solutionem cinerum clavellatorum & ⊖♀: hæc brevi post clarescebat, & urinam optimè constitutam, sed intensiùs, aurantio scilicet colore, tinctam exhibebat. Sanè in hac urina alcalisata ne vestigium quidem opacitatis aut contentorum præcipitatorum apparebat. De cætero tota urinalis circumferentia* ⊖*ibus crystallisatis quasi conglaciatis erat obducta, & quidem candidis, glaciei instar. Parti tertiæ instillavi spiritum nitri probè rectificatum hinc urina, seponendo copiosum sedimentum, clarescere incipiebat, & sanguineo colore tingi: ipsum sedimentum viscidius, tenacius & magis invicẽ concentratum, obscurioris etiam coloris erat, quàm illud in urina sibi relicta: undiq; etiam* ⊡*lis parietibus copiosa* ⊖*ia crystallisata ruffa, istis scorbuticorum similia, se affixerant, quorũ plura in fundo secesserãt. Loco horũ* ⊖*tum, in urina sibi relicta, alba substãtia, quasi tenuis viscida crusta, urinale obduxerat. Accepi porrò urinam hanc per Alcali restitutam & clarificatam, & instillavi spiritũ nitri, & sine ulla effervescẽtia nota, mox turbabatur uri-*

Urina, & exactissimè eandem repræsentabat faciem, quam habebat urina primitus allata.

5. *Accepi urinam juvenis, qui conflictabatur febricula continua lenta lymphatica, cum virium prostratione, faucium inflammatoria excretione, alvi fluxu, &c. hæc mane collecta, intensè sanguineo colore tincta, perspicua, crassa, cum nubecula per totam urinam dispersa: à meridiè reddita fuerat turbida, cũ copioso divulso sedimento, coloris flavi, &c. Huic vesperi hora quinta in duas partes divisæ, primæ instillavi lixivium ex detonato tartaro & nitro paratum, & subitò sub ipsa instillatione urina turbida, crassa, reddita clara, & in pristinam consistentiam, perspicuitatem & colorem rutilantem, fuit restituta: sed post cœnam considerata sedimentum candidum grumosum seposuit, urina clara supernatante. Addidi secundæ medietati spiritum vitrioli Philosophicum, & ☉ eadem mansit crassa, turbida, cum deterrimo sedimento, etiam post cœnam denuò considerata.*

6. *Vir quidam tertiana intermittente graviter afficiebatur, cujus urina emissa mox copiosum dimittebat sedimentum. Hujus parti primæ instillavi spiritum nitri, unde cõcentrabatur, & magis circa fundum uniebatur sedimentum; Parti secundæ lixivium cinerum clavellatorum, unde mox evanescebat sedimentum, clarescebat urina eleganter, & aurei intensè coloris erat. Sed brevi post, non secus ac antea sedimenta, idem (copiosius tantum forsan) sedimentum candidum ac leve fundum occupabat.*

7. *Mulier, quartanâ diuturnâ laborans, emittebat ☉m, quæ brevi reddebatur turbida & opaca, cum colore ad rubedinem vergente, cũ sedimento tardè secedente. Parti primæ instillavi spiritũ nitri, contentum hinc densius mox coagmentari sensiliùs reddi, & brevi post densum ac rubicundum fundum petere cœpit, ☉ intensè tincta supernatante. Pars secunda in fornaceâ colore mox clarificabatur, & sedimento lateritio præternaturali impregnata apparebat: filtro clarum separavi liquorem, sed nihilominus ab aliquot horis turbari denuò cœpit, & sedimentũ illi priori simile extrudere. Utramq; ergò hanc urinam exactè filtro à sedimento separavi, & ☉e aurantiæ claræ lixivium cinerum clavellatorum instillavi, & adhuc copiosum sedimentum candidum præternaturale præcipitabatur: die sequenti huic urinæ cum sedimento naturali instillavi spiritum nitri eundem, quem suprà in parte hujus urinæ primæ adhibueram, & hic sub instillatione sedimentum omne absorbebat. Adeò Acidum hic sedimentum naturale absorbet, præternaturale verò non attingit.*

8. *Urina mulieris, diuturnâ tertianâ afflictatæ, afferebatur, quæ copiosum sedimentum seposuerat rubescens, cũ pulvere boli rubri admixtus quasi videbatur, liquore supernatante tenui, incerti coloris. Hujus parti primæ instillavi lixiviũ carminativi, secundæ spiritum vitrioli Philosophicum; hinc altero mane ista cum Alcali sedimentum copiosum ex albo nonnihil ad flavedinem declinans, crassum põderosum seposuerat, supernatante liquore urinario, aurantio colore tincto. Illa cũ Acido sedimentum concretũ rufsi aut sanguinei potiùs coloris in fundo seposuerat, ☉ non adeò exactè clarâ, intensissimè tamẽ tincta, supernatante. Intendunt ergò colorem sedimentorum acida, quem infringunt Alcalia.*

9. *Urina juvenis, tertianâ duplicata per aliquot septimanas jam laborantis, & nunc in declinatione morbi constituti, erat crassa, turbida, cũ copioso sedimento ad rubedinem aliqualem accedente. Parti primæ instillavi lixivium detonati tartari & nitri, unde post agitationem copiosum sedimentum candidum, ejusdem ac antè quantitatis, fundum petebat. Urina clara, aurantii coloris, supernatante. Parti secundæ instillavi spiritum nitri, & sub ipsa agitatione intendi ℞, tàm urinæ quàm sedimenti, videbatur: post quietem idem sedimentum, quod antè fundum petierat, sed intensissimè rufsescẽs, urina clara ex rubro sanguinei coloris supernatante, postmodum ab aliquot horis huic medietati cum spiritu nitri tractatæ, lixivii præfati aliquantulum instillavi, unde liquor in ℞ nonnihil remisit, sedimentum verò ex rubro colore multò candidius factum fuit.*

10. *Urina afferebatur cujusdam crassa, intensè tincta, quæ brevi post turbabatur, & sedimentum copiosum candido lateritium seponebat, cum crusta densa, glauca &c. vitrum obducẽte. Huic instillo spiritum nitri, & successivè contentum præternaturale omne absorberi cœpit, & crusta evanuit; hujus verò loco copiosæ ∴ aruffæ undique vitro agglutinatæ erant, urina clara, intensè sanguineo colore tincta, supernatante. Absorpsit hic contentum præternaturale instillatum Acidum contra Experimenta hactenus recensita, forsan quod hoc proximè ad naturam contenti naturalis accederet.*

11. *Studiosus febre petechiali maligna laborans, in statu morbi periculosissimè decumbebat, urina collecta erat crassa, clara, ex aureo colore intensè rufsescens, & quasi rubescens, sine contentis, saltem levioribus eneorematibus. Instillavi spiritum nitri, & intensius in ℞ exaltabatur, & ad sanguineum colorem adscendebat successivè & vestigia eneorematis delebantur. Parti alteri instillavi lixivium tartari & nitri detonatorum, & successivè, sed lentè admodum, seponebat aliquod sedimentum album quantitatis mediocris: ipsa urina, quæ supernatabat, clara & tenuior, & intensius ad rubedinem tincta observabatur; paucos intra ♂ mors. Quod hic præcipitabatur ab Alcali, erat saltem sedimentum naturale: de cœtero ita textura urinæ & sanguinis mutata & concentrata fuerat, ut nec ab Acido nec Alcali alterationem paterentur.*

12. *Studiosus juvenis laborabat febre lenta, Hecticæ simillima, cum secessibus crebrioribus, appetitu prostrato, exhibebat urinã crassam, turbidam, cum sedimento copioso, quæ recens emissa colore intensissimè flammeo rutilabat. Parti primæ spiritum nitri, parti secundæ spiritum vitrioli rectificatum instillavi, sed urina turbida manebat talis, & sedimentum suum seponebat: Urina supernatans intensè sanguineo colore tincta erat, sed illa cum spiritu nitri paulò intensior videbatur: Parti tertiæ lixivium cinerum clavellatorum nõ adeò acre; Parti quartæ lixivium ex tartaro & nitro detonatis acre, instillavi, effectus utriq; idem, restituebatur iterum mox urina, sed ut solet, nõ adeò exactè perspicua evadebat: ab aliquot horis seponebat sedimentum ad croceum colorem vergens. Nempe hic contentum ex colliquatione erat natum, indeq; copiosum, & sic ferè minus apparibile tàm ab Acido quam urinoso.*

13. *Accepi Urinam Viri Cachectici, qui in pueritia ali-*

aliquando hydrope ascite affectus fuit, jam ad anasarcam inclinabat, pedes intumescebant, respiratio paulò difficilis, mictum cruentum subinde patiebatur, facies pallidè intumescebat, urina erat tenuis pallida, ex levi citrino albida glauca, h.e. clara quidem, sed instar vitri minus perspicui, quasi lacteo-turbida, absq; contentorum vestigio. Hujus parti primæ instillavi lixivium cinerum clavellatorum, nulla hinc mutatio sensilis, saltem alterâ die sedimentum quoddam pancum, candidum, dispersum, &c. in fundum matulæ sepofuerat. Secundæ parti instillavi spiritum nitri, & ecce! sub ipsa instillatione sedimentum candidum copiosum fundum occupavit: continuavi instillationem, & sequente mane copiosum admodum sedimentum candidum, viscidum, tenax, &c. sepofuerat, triplo ad minimum separans illud cum alcali; urina ipsa clara supernatans in tensiùs tincta ad aureum colorem notabiliter accedebat. Eandem urinam post 14. & ididem examinavi, & eadem apparuerunt phænomena: aliquot mensibus interjectis æger æstmate correptus interiit. Similem urinam adhuc semel videre contigit cum iisdem phænomenis in Viro, Cachexiâ scorbuticâ afflicto, cum affectibus podagricis, tumoribus pedum œdematosis ac levioribus paralyticis: hic post aliquot menses apoplecticus interiit.

14. *Accepi urinam Studiosi, gravi ictero flavo periculosè decumbentis, eamque, ut solet, turbidam obscuram, intensissimè tinctam, immersa lintea admodum tingentem. Parti primæ instillavi phlegma nitri acidum, unde aliqualis sedimenti præcipitatio, liquore supernatante obscuro, apparente ex viridi nigricante, ad solis verò lumen ritè considerata mistura sedimentum viride seponebat, liquore supernatante ex flavo ad aliqualem viriditatem declinante. Parti secundæ instillavi spiritum nitri, & eadem phænomena, sed magis manifesta & sensibilia, apparebant. Parti tertiæ instillavi spiritum ⊖is, turbabatur nonnihil liquor, & reddebat Præcipitatum elegans viride, cum liquore perspicuo aurei coloris supernatante. Parti quartæ instillavi spiritum ⊖✕ci, præcipitabatur substantia flava instar cujusdam ochræ supernatante liquore citrino, non adeò intensè tincto, claro, crasso. Parti quintæ instillavi lixiviū tartari & nitri detonatorum, præcipitatū sedimentum fuit intensè luteum, liquore supernatante perspicuo, claro, aurei coloris.*

15. *Post jejunium ferè 24. horarum in homine non adeò sano, sed febriculâ lentâ correpto, collecta urina apparenter erat sana, sed brevi post turbabatur, & vix per noctem integram sedimentum perfectum deposuit. Ego agitatæ urinæ parti primæ spiritum nitri instillavi, & successivè ac pedetentim clarescebat urina liquor, & perfectè sibi restituebatur, citra aliam alterationem. Parti secundæ lixivium tartari & nitri detonatorum instillavi, & in momento sub ipsa instillatione perfectissimè sibi restituebatur, ita ut post aliquot horas utraque urina, tam acido quam urinoso impregnata, sibi simillima essent. Sedimentum hoc ex naturali & præternaturali contento videtur fuisse compositum, unde etiam phænomena ista exhibuit.*

Ex his apparet, quanta sit varietas in ⊡is præternaturalibus, & quam diversa exhibeat phœnomena pre constitutionis præternaturalis varietate, adeò ut vix in regulas aut conclusiones coërceri queat.

Sit nihilominus, quantum quidem exinde colligere licet vel potest

Conclusio 1. *Acida urinam nullam turbant, aut Contenta earum præcipitant; quæ verò clara, suâ sponte postmodum turbantur, earum turbationem ac Contenti præcipitationem ut plurimū adjuvāt, sæpiùs accelerat, rarissimè impediunt.*

2. *Acida, sedimenta præternaturalia vel sponte sua vel illorum ope præcipitata, condensant & intensius tinguntur, h.e. spissiora magis & subinde grumosa reddunt, ac proprium eorum cruorem magis ad rubedinem accedere faciunt.*

3. *Acida interdum, sed rarò, sedimentum præternaturale, vel sponte suâ, vel eorum adjumento præcipitata, resorbent, & tunc ferè copiosa, ruffa, quasi sabulosa aut arenosa concrementa, in fundo subsidentia, suppeditant.*

4. *Alcalia, præter contenta præternaturalia, sponte suâ ex urina separata, ulteriùs alia contenta naturalia ex eadem præcipitare solent.*

5. *Alcalia ut plurimū urinas præternaturaliter turbidas restituunt pristinæ perspicuitati, & sponte præcipitatum sedimentum præternaturale quasi resorbent, subindè perfectè, sed hoc rariùs (id est, ut cōtentū absorptū perfectè dispareat & ⊡ exacta perspicua fiat) subinde imperfectè, & hoc frequentiùs (h.e. resorbeatur licet contentū, ⊡ non fit perfectè clara, sed idem contentū, quod antea denuò præcipitatur, utut in colore mutatū) Nam*

6. *Alcalia sedimenta ⊡ a præternaturalia sui miscela, consistentia magis rara, motu leviora, colore magis candida, reddunt; sed hæc omnia magis à Volatilibus, quam à fixis.*

Ex hactenus institutis tentaminibus, circa ⊡s, in statu morboso collectas, collatis, cum iis in statu naturali obviis, mox insignem contentorum præternaturalium, à naturalibus differentium, deprehendere licebit varietatem. Sanè si proprietates & affectiones contenti utriusq; rectè cōsideremus, tantū non toto cœlo differre videbuntur. Aft dubium est, *qualis differentia inter contenta naturalia & præternaturalia locū* specialiter *obtineat?* an *saltem formalis*, an *præterea quoq; materialis?* Equidem *quod formalem differentiam*, quoad texturæ nempe modū, nulla lis est; quin talis intercedat; saltem de naturali dubitatur primariò, circa quam sunt tres hypotheses:

1. *Eandem esse materiam* Contentorum naturalium & præternaturalium.
2. *Esse diversam.*
3. *Esse partim eandem*, partim diversam.

Conf. hîc *PLEMPIUS in Fundam. Medic. l. 5. §. 3. c. 6 §. 320.* Verùm si præter notabilem phænomenorum diversitatem, ex sola formali textura diversitate, citra materiæ subjectæ differentiam vix explicabilē, ulteriùs consideremus, in quantum morboso sub statu & hujus varietate, ac præternaturalibus functionum læsionibus, humoris corporis quivis necessariò alterentur & vitientur, *concludendum omninò Contenta ista urinarum præternaturalia materialiter & formaliter esse distincta* à naturalibus.

Unde triplex Contentorum præternaturalium materia omninò statuenda venit. *Primò ipsa Contenta naturalia sub statu morboso* plus minus alterata in præternaturalia abibunt. Notum enim est, quod urina cruda in sanis excreta, h.e. quæ tenuis & minus contentorum secum vehit sub diæta saltem liberaliore, morbos pronunciet, in quibus post-

modum copiosa contenta in urina præcipitantur: hinc secundùm effatum *GALENI, qui ex otio & repletione febricitant si sanitati restitui debent, in eorum urina necessariò plurimum subsidet*; illa nempe, quæ sano in statu ob excretionis errorem retinentur, per ebullitionem febrilem præcipitantur & separantur.

Deinde, eaque primaria & frequentissima contentorum præternaturalium materia est chylus vitiosus, ac usibus, quib° naturaliter destinatus ineptus, h. e. nec sanguini nec partibus solidis debitè assimilabilis. Nam sicut sub sanitatis latitudine chylus undicunque vitiatus cum urina excretus sedimenti partem subinde constituit; ita multò magis præternaturaliter degenerans idem sub urinæ vehiculo eliminabitur. Quæ vitia chyli, uti solent esse tantùm non innumerabilia, ita etiam in contentis urinæ tam insignitèr variantia phænomena exhibent.

Tertiò, quin etiam contentorum præternaturalium in urina materiam suppeditant cœteri quivis, etiam laudabiles, corporis humores, tàm primariò chylus, ac inde genitus sanguis, quàm bilis & lympha, sub morbi cursu plus minus alterati & à statu naturali dejecti, genitæ hinc ex mutata textura portiones motu intestino in sanguine secernuntur, & per urinam absorptæ absumuntur, & ita contenti præternaturalis partem pariter constituunt. Locum obtinet primario in febribus, in quibus minus probabile est, tantum partium heterogenearum præextitisse in humoribus, & speciatim in sanguine, quantum postmodum sub febrium motu cum urina emittitur; nam minimum subinde est, quod talium morborũ causa materialis existit, non secus ac quando sub purgatione vehementiore purgantia acriora, alterando humores corporis, excrementa fabricant, ita sub febrili sanguinis commotione similia talia plura, ceu producta morbosa, de novo fiunt, quæ cum urina excernuntur.

Quinimò, si altiùs negotium hoc examinare velimus, etiam sub morboso hoc statu in ipsis partibus solidis nutrimentum earum præternaturaliter alteratum & colliquatum contentis in urina materiam suppeditabit. In febribus colliquativis, sub contabescentia item corporis, hoc evidens videtur, in quibus non tàm alimenta agglutinandi defectu, quàm agglutinandi retrograda resolutione, & hinc per loca varia sensili excretione, partes istæ solidæ emarcescunt, ita ut in plurimis morbis ipsis solidis partibus decedere, & vehiculo seri per urinam quoque nutrimentum excerni videatur. Notatu digna sunt verba *FERNELII de Urinis l. 3. c. 11. p. 227. Quin etiam corporis humorumq; moles nonnunquam liquescit, dilapsaque diffunditur per urinas: quomodo observavimus bibulum quendam, optimo corporis habitu diebus circiter 8. ex ingenti corporis mole in magnam gracilitatem citra ullam vim morbi collapsum, id etiam caloris aut colliquantis vi febris fieri proditum est, tumq; urina multa non tamen tenuis & alba cernitur, sed flammea, vinea aut passea, cui etiam pingue & oleosum quoddam innatat.*

Quo magis ergo contenta præternaturalia ad naturam seu texturam naturalium accesserint, eò magis etiam sub ⊖ium mechanico examine phænomena, Cõtentis naturalibus simillima, exsurgunt Quod verò insignem istam à naturalibus Contentis diversitatem sub isto ⊖ium examine in Contentis præternaturalibus attinet, ante omnia præsupponenda sunt plura chyli vitia & corruptelæ, quas sub digestione prima contrahit. Quod si ergò cõtingat, chylum nec pinguem quidem, sed simul plus minus viscidum esse, ac simul vitiosè acidum; ita tunc, dum Contenta ex tali chylo pinguia plus minus glutinosa, & occultè vitiosè Acida, quæ urinam impregnãt, ex texturæ vitiata constitutione sponte hinc præcipitantur, urinæ tales ab alcali promptè restituentur perfectè vel imperfectè, quatenus contentum præcipitatum ob Acidum occultum facillimè cum alcali coit, quod se unit Acido, solvit pingue, unde concretum saporis instar in ▽ solubilis apparet: sicuti ecõtrà Acidum, Contentum tale ex texturæ ratione magis condensans, ejus præcipitatione promovebit. Quod si Contentum sit perfectè ⊖ium oleosum, adeoque saturatum, quale in urinis febrientium perfectè coctis, in urinis Hecticorum etiam observatur, tale nec ab Acido, nec ab Alcali, quoad solutionem aut alterationem alterabitur, sed idem semper manebit. Et sic ex tali ac simili alia analogia ac proportione Contentorum, respectu additorum ⊖ium, phænomena Contentorum urinæ præternaturalium explicari, & usui Practico accommodari debent.

Ex his etiã *natura coctionis* & *Cruditatis* Pathologicæ explicanda venit; distinguunt enim nonnulli Coctionẽ & Cruditatẽ, eorumq; signa, in Physiologica & Pathologica. *Coctio Physiologica* est Adaptatio materię ad nutriendũ. *Pathologica Coctio* est Adaptatio materiæ excrementitiæ ad excernendum, ubi præcipitantur quasi morbosa Contenta ex massa sanguinea per motum fermentativum. *Pathologicæ signa* sunt *signa Coctionis & Cruditatis morbificæ*; *Physiologica signa* sunt *signa chyloseos & hæmatoseos. Pathologica* Coctio locum habet saltẽ in morbis, primariò acutis ac febribus, secundariò etiam chronicis; *Physiologica* saltem in statu sano attenditur. *Pathologica* fit per motum intestinum in massa sanguinea præternaturalem, & tendit ad heterogenei seu excrementitii ab homogeneo seu nutritio separationem; *Physiologica* verò fit in ventriculo & vasis, & tendit ad chyli cum sanguine assimilationem.

Dum igitur ex urina cognoscitur status Coctionis primæ, & hinc sanguinis, prout hic ex fermentatione ejus resultat, hoc ipso signa Coctionis & Cruditatis suggerere dicitur. Quo in negotio probè distinguenda est urina cruda in statu neutro, vel quæ in morbis chronicis, ut in Cachecticis mulieribus nõ menstruatis observatur ab illa urina cruda, quæ in morbis acutis & febribus considerari solet. Illa ratione chyloseos; Hæc ratione hæmatoseos, ita dicitur; adeoque *Cruditas & Coctio*, quarum urina signum exhibet, est *vel respectu alimentorum*, vel *respectu materiæ morbificæ. Urina cruda, quæ* vel *Cruditatis signa exhibet*, ista dicitur, *quæ* extra morbos acutos aut febres observatur, & *insequitur deficientem digestionem alimentorum in ventriculo* & primis viis, & talis est omnis urina, quæ à statu naturali deficit: v. g. quæ tenuis, non sufficienter tincta, emittitur, ut plurimum etiam clara esse solet, rarò turbatur, & tales urinæ simul deficientem digestionem primam, seu Cruditatem alimentorum digestorum, & simul Cruditatem Causæ morbosæ, innuunt; hinc in cachexia & hydrope propter defectum digestionis primæ & secundæ urina est admodum tenuis. *In febribus urina tenuis innuit defectũ separationis materiæ morbificæ*, & consequenter febrem longam: *Si febris fuerit acuta, eam periculosam & forsan lethalem pronunciat*: item in iis, qui *laborant nephritide & podagra, urina tenuis indicat paroxysmum.* Quod si verò urina emittatur in debita consistentia coloris citrini, aut nonnihil intensioris, clara, aut propter copiosa contenta ⊖ia ♃ea nonnihil obscura, talis urina cocta ceu Coctionis ali-

alimentorum in primis viis ritè peractæ, & segregationis ⊖ium, signum asseritur; in morbis innuit laudabilem statum fermentativum sanguinis, quo copiosa recrementa ⊖ina segregantur.

Non ergò confundenda est cum modò dictis Cruditas & Coctio materiæ morbificæ, ejusque signa in febribus morbisque acutis in specie notanda. *Cruditas enim materiæ morbificæ* consistit in intimiori particularum etiam præternaturalium, crasinque ejus vitiantium commixtione, & impedita hinc earundem cum lotio secretione. *Coctio* econtrà *materiæ morbificæ* est, quoties particulæ heterogeneæ sanguini arctiùs unitæ, ab eodem iterum sensim separantur, atq; cum urina ex parte excernuntur.

Nempe Acidum præternaturale *concentrando urinam ejusque contenta*, hanc *intensè tinctam, crassam, perspicuam*, h. e. *crudam reddit:* Quod si insringatur successivè Acidum, & plus minus saturatur, fatiscere citiùs textura urinæ, & contenta præternaturalia ex eadem secedere incipient, eritq; *Coctionis inchoatæ* in urina crassa & turbida indicium. Quod si denique perfectè sit saturatum urinæ Acidum, ita ut omnia denuò in corporis humoribus sub temperatura ⊖so-oleosa æqualiter moveantur, Contenta copiosa mox secedentia urinam claram eleganter tinctam supernatantem habebunt, *& sic perfecta erit Coctio. Medium hujus Coctionis*, quo cruda fiunt cocta, id est, quo fit ista separatio & præcipitatio ex sanguine, *est fermentatio quædam extraordinaria*, indeque præternaturaliter sanguini inducta, mediante quâ præcipitantur particulæ heterogeneæ, & sanguis novam texturam acquirit, dum Acidum præternaturale saturatur, & ita cum salso sapore ab aliis particulis præternaturalibus involutum, unâ excernitur. Illustrat negotium hoc Vinum, dum adhuc musteum existit, crudum est ex arcta partium unione, sed fermentatione facta, dum mustum in V. transit, hoc coctum est, factâ copiosâ fæculentiarum separatione, & ad fundum præcipitatione. Medium, quo separantur fæculentiæ ex musto, ut ex eo fiat vinum, est Fermentatio.

Modus Coctionis hujus consistit in *præcipitatione*, dum Acidum saturatum cum aliis particulis heterogeneis cœteris in sanguine non benè miscibilibus, ex legibus mechanicis, propter figuræ, magnitudinis, texturæ, &c. disproportionem, ex aliorum consortio extraduntur, & ita præcipitantur. Heterogeneæ hæ partes præcipitando separatæ, à seroso latice imbibitæ, cum urina foras excluduntur. Uno nomine, *Cruditas Pathologica consistit in præternaturali unione utilium cum inutilibus, facta ab Acido. Coctio consistit in inutilium ab utilibus separatione, facta per separationem* Acidi. *Medium est Motus fermentativus*, sub quo in novam texturam abeunt particulæ unibiles, & successivè saturatur Acidum, hinc cœterorum consortio extruduntur. *Modus separationis est Præcipitatio spontanea*, instar fæcum in cerevisia fermentante. *Effectus est excretio separati cum urina, & hinc Coctionis signa.*

Ex quibus patet, quæ Urinæ Cruditatis aut Coctionis signa exhibeant: nempe *Cruda est Urina*, quæ *tenuis, intense colorata, clara* vel *turbida*, sed *quæ talis permanet*, &c. *Coctionis contrà materiæ morbificæ signa sunt, si evadat crassior, intensiùs colorata, sed quæ nubeculam aut eneorema exhibeat:* item, *quæ hinc successivè fit turbida*, sed *tandem materiam copiosam in fundum seponit*, liquore claro supernatante. *Cruditas ista materiæ morbificæ est ab Acido vitioso præternaturali; Coctio verò ab Acido stomachi fermentali.* Sunt enim omnes succorum in corpore fermentationes saltem continuationes fermentationis in stomacho inchoatæ, adeoque stomachi digestio præest quibusvis aliis; *& nubecula in urina in morbis, tam chronicis quam acutis, signum est redeuntis in stomacho fermenti, & redintegratæ plus minus digestionis*, ut rectè asserit *HELMONTIUS.* Unde modò ægri ad ea, quæ offeruntur, ritè se habeant, & aliquantulum alimenti absque renitentia, vel nausea assumant, etiam in periculosissimis & acutissimis febribus, bonum signum activitatis fermenti stomachalis & hinc sperandæ Coctionis materiæ morbificæ. *Sunt autem hæc ipsa intelligenda magis de febribus benignis, quam malignis: item de iis saltem, in quibus contenta corporis magis affecta sunt.* Nam *in quibus spiritus primariò laborant, minus hæc applicari possunt*, utpote, cùm in talibus sub periculosissimo ægrorum statu urinæ sanorum simillimæ apparere soleant.

Pituita, Pus & Genitura, sæpiùs in Urinis confunduntur. *Pituita* quidem per urinam rejicitur vitio digestionis primæ. *Pus* in urina observatur, quando pars aliqua laborat abscessu, ut in Pleuritide suppurata, exulceratione renum. *Genitura* conspicitur, quando Gonorrhea laborant. Ut ergò ritè distinguantur, observetur: Genitura, tanquam corpus spumosum & leve, in superficie urinæ semper hæret; Pus autem & Pituita petunt fundum, ita tamen ut, si urina agitetur, pus mox dissiliat & urinâ turbidam faciat; pituita verò fundo inhærens moveatur circulari motu, tardiùs urinam replet, & subitò fundum petit: *HEER in Observat. Oppido rara* 18. Denique *sedimenta farinacea, squamosa* & similia in urina reperiuntur, quæ sunt ramenta membranarũ, aut pelvis renum aut ureterum, aut membranarum in ipsa vesica, & indicant excoriationes & incipientes exulcerationes partium membranosarum urinariarum.

Pergo ad secundam Classem Contentorum præternaturalium, nempe *Coagulata*, quæ *arenarum, sabuli, crystallorum*, &c. *formâ* nunc in urina *subsident*, nunc *vitri parietibus affiguntur*, ut & pelliculæ, multiplici colorum varietate tinctæ, faciei urinæ innatant, aut quæ crustæ plus minus glaucæ formâ vitrum incrustant, qualia morborum chronicorum, aut saltem affectuum hypochondriacorum, aut splenoticorum, comites aut indices exinde existunt. Salina coagula aut tartarea concreta uno nomine vocari possunt. Arenulas sæpè cum urina excerni notum est: sed bene observanda earum varietas, qua distinguuntur *in veras & nothas. Veræ enim arenæ sunt duræ, & tactui resistentes*, *nec* digitis *friabiles* fundo matulæ inhærent. *Nothæ* sunt, quæ imprimis rufæ, digitis friabiles, & omnibus lateribus vasis adhærent. Nullæ sunt arenulæ, sed salia vitiosa in urina post excretionem coagulata, & calculi renalis sunt prodromi. Nam quando urina paulatim steterit, lateribus vasis se affigunt quasi arenulæ, vel sabulum rubrum & copiosum, idque facilè friabile, & hoc *Scorbuticis & Hypochondriacis ferè proprium videtur*, & quasi ejus infallibile quoddam signum solet esse. Confer. *HOEFERUS in Hercule Medico p.* 180. item *HORSTIUS in Manuduct. de Urinar. Judic. ad Medicin. p.* 191. *Oriuntur ex dyscrasia massæ sanguineæ*, scorbutica. Quę scorbuti subsumptio eò magis confirmatur, si supernatet urinę *crusta quædam*, quasi pinguis vel oleosa, sed ad latas adspecta *instar caudæ pavonis* vel *iridis*, eleganti colorum varietate distincta, quam recte *MOEBIUS Institut. p.* 358. ex ⊖e acido cum

Alcali

Alcali misto & volatilisato, & in superficie quasi cristallisato, oriri statuit.

Circa hæc sit

Experimentum 1. *Urina juvenis, ex febre intermittente malè curata adhuc languidi, naturaliter constituta ad* ℥iij *permista fuit cum lixivii clavellatorum non adeò acris* ℥iij, *& mox copiosum sedimentum præcipitavit, color idem permansit. Ejusdem* ℥iiß *instillavi* ∽ *nitri rectificati* ʒj, *nulla hic præcipitatio, sed insignis in colore intensio cum copiosis arenis ruffis, seu potiùs crystallisatis* ⊖*ibus, undeq; vitro adhærentibus, sicuti plures tales arenulæ candidæ seu salia, quasi crusta glacialis, illi cum alcali adhærebat.*

2. *Urina quædam manè collecta, clara, ferè naturaliter tincta cum copioso sedimento naturali in fundo apparebat: ab instillato spiritu* ⊖*is marini in continenti urina penitus absque sedimento erat, & urina naturalissima instar constituta ac tincta: sequenti die urina clara sine contentis intenso sanguineo colore erat tincta, & copiosa* ⊖*ia instar* ∴*rum ruffarum vitrum incrustabant, copiosè etiam in fundo fluctuabant. Instillabam lixivium cinerum clavellatorum ultra saturationis punctum, & copiosum contentum chylosum mox extrudi cepit: sequenti manè præter hoc sedimentum copiosissima crystalli candidæ arenulæ formes undique vitrum obduxerant cum levissimo nebulæ albicantis vestigio.*

3. *Urina quædam vesperi ante cœnam, collecta ex mediocriter convalescente, turbabatur, & crustam densam vitro affigebat: sequenti mane omnem urinam cum contentis effundebam vitro vero cum restitante crusta, dimidiam* ▽*æ, respectu effusæ urinæ, partem infundebam, instillans desuper* ∽ *nitri sufficientem quantitatem agitando vitrum, hinc omnis crusta successive evanuit, & altero die illius loco arenulæ seu tartarus crystallisatus moderatè ruffescens, partim in fundo fluctuare, partim hinc inde vitro affigi, videbatur.*

4. *Hominis sani urina, jam ad putredinem ruenti, & quæ præter crustam glaucam densam simul* ⊖*ia parva, candida, crystallisata continebat, instillavi spiritum nitri, & ita perbiduum relinquebam: cessabat hinc fœtor, & crusta ferè tota evanuit, & tantillum ejus vestigium restitit,* ⊖*a candida crystallisata etiam evanuerant, loco quorum* ⊖*ia talia arenosa ruffa hinc inde vitro se affixerant, & magna eorum pars in fundo vitri mobilis fluctuabat. Eadem phænomena apparent, si simili urina sana ad putredinem ruenti, cum crusta densa* ∽ ⊖*is communis instilletur.*

5. *Urina manè emissa benè constituta copiosam densam glaucam crustam à meridie vitro affigebat, ipsâ* ⊡ *clarâ permanente: relictâ denuò* ⊡ *ad sequentem diem,* ⊡ *in vitro naturaliter constituta erat, crusta penitus evanuerat. cujus loco copiosa crystalli ruffæ vitro se affixerunt, & capiosiores circũ fundũ mobiles se coacervarant, adeoq; eadem est crusta glauca & crystallorum sabuliformium materia.*

6. *Urinæ laudabiliter constitutæ instillavi spiritum vitrioli rectificatum, unde* ℞ *exaltabatur ad sanguineum ruborem & copiosa* ⊖*ia ruffa fundum occupabant: Urinam hanc filtrando ab his* ⊖*ibus sabuliformibus separavi, instillavi lixivium cinerum clavellatorum ad saturationem usque, & sequenti die successivè remitti* ℞ *cepit, in specie pellicula densa & firma supernatabat urinæ, quasi ex stellulis hexagonis intertexta constaret.*

Ex his Experimentis ferè sequentes elici possunt Conclusiones:

(1) *Ab Acido intensiori*, urinosas terreas quasdam particulas coagulante, *generantur Concreta sabuliformia ruffa in urinis.*

(2) *Ex particulis urinosis magis* terreis, adeoque *fixioribus* in ⊡ *abundantibus, generantur concreta salina, candida, ab Acido coagulante non adeò acri.*

(3) *Ex particulis iisdem urinosis fixioribus, sed substantiâ pingui inviscatis, gignitur crusta glauca*, unde & à *superveniente Acido facilè in tartarum ruffum coagulatur.*

(4) *Salium, Acidi & Urinosi, copiosorum aut acrium in vehiculo aquoso exactè solutorum, saturationem & hinc concretionem, sequitur pellicula & cremor, pinguedinis instar urinæ supernatans diversimodè tincta.*

Origo ergò horum *concrementorum* coagulatorum *videtur esse efficienter ab Acido, naturaliter ex terreo-urinoso fixiori*, invicem coagulatis & coagmentatis. Quod ut pateat, observandum est, quod hæc Concreta tartarea omnia sint productum præternaturale: nam si subjecta considerentur, in quorum urinis concreta talia observantur, ut hypochondriaci, scorbutici; item à febribus, aut diuturnis, aut malè curatis, denuò convalescentes, illa sunt talia, in quibus alimentorum assumptorum debita attenuatio & volatilisatio in primis viis minus perfecta esse solet, unde particulæ ⊖inæ urinosæ minus volatiles, sed suo modo fixiores, magis terreæ existunt, quæ cũ Urina maturè excernuntur; quę eò manifestiora sunt, quod *BORRICHIUS in Actis Haffniens. Volum. 2. p. 171. & 182. minus salis volatilis, plus facum terrearum in febrientium sanguine deprehenderit.* De Hypochondriacis & scorbuticis pariter constat, horum ⊡s acriores & ⊖siores existere, & præter hoc, quod debitæ volatilisationis assumptorum in primis viis defectu particulis urinosis minus volatilibus, sed ferè fixioribus, imprægnatæ sint; imprimis Acidum est, quod in eorum urinis luxuriat, unde etiam ♀ ruffus variegatâ pelliculâ tàm crebrò in eorum urinis concrescit. Nempe in his concretionibus tartareis & ipsum coagulans Acidum haud adeò naturale existi, uti ex subjectorum, à quibus urinæ emittuntur, conditionibus sponte patet, quin à spirituosa aut volatili natura plus min9 deflectens, & suo modo acrius existens, præter ℞æ intensionem, etiam peregrina talia coagula in urina generat. Hinc etiam à Practicis annotatum fuit, copiosiùs generari hujusmodi tartarum in stanneis aut plumbeis, aut terreis vitreatis vasis, quàm vitreis, Acido isto rodente particulas metallicas, & in iis ceu fixioribus, se concentrante. Plus Acidum hoc, tartari ruffi coagulatorem, in recessu habere insinuat. *MOEBIUS Institut. p. 153.* quinimò ipso in sanguine, aut cœteris corporis fluidis, actu coagulationis negotium interdum perficit, adeò ut præter hoc copiosè cum urina prodeant, ac per sudores copiosè excernantur arenulæ. *Confer. HORSTIUS loco allegato, item TACKIUS in Phasi 2. p. 82.*

Quod si sub ista particularum in tartarea concrementa concretione contingat, vel sponte separari, vel potiùs vi quadam extrudi pingues seu oleosas particulas ex eorum consortio, & subindè unà cum par-

oritur *crusta ista nebulosa* satis *glauca*. Idem phænomenon in præcipitatione lactis ♃is obtinetur. Par verò ratio est, dum phænomenon sub incipiente ⊡æ putredine observatur. Quod verò saltem copiosius ♃, seu pingues istæ particulæ solæ, crustam istam constituant, ut vult *WILLISIUS de Urinis*, citra terrearum plus minus urinosarum consortium, minus probabile videtur, quia Acida instillata crustam hujusmodi glaucam absorbent, interdum cum eadem in tartarum ruffum concrescunt: Jam vero in solas pingues particulas ita non agunt acida.

Porrò *sedimentum* conspicitur nunc *rubrum carneum* fleischfarbig/nunc *rubrum lateritium*. *Illud* reperitur in morbis & febribus chronicis, & in talibus sæpè latet scorbutus, quod sæpiùs observavi. Lateritium ejusdem naturæ est cum arenulis scorbuticis, & solet esse ordinarius comes morborum chronicorum confirmatorum. Interim reperitur etiam *sedimentum crassum*, *album*, *viscidum* &c. quod ostendit vitium vesicæ, muco aut arenulis refertæ, & sæpiùs vesicæ quàm renum calculum indicat. Nam vesica calculo læsa plorat nutrimentum proprium chylosum spermaticum.

Ut tandem hæc concludamus, Acidum & Alcali, ceu duo naturæ instrumenta mechanica, & ipsa in ⊖so urinæ concreto, utramq; faciunt paginam, & cujusvis in urina mutationis fundamentum existunt, experientia mechanica id testante. *Ab Acido enim plus minus eminente* ℞æ *intensio*, ab *eodem deficiente* ℞æ *remissio*; *ab eodem contentum naturale concentrante*, ab *Alcali verò præcipitante*, & consistentiæ & perspicuitatis in urina ratio. Quo magis sub ⊖so urinæ sapore prævalet Acidum, eò diutiùs citra putredinem subsistit eadem, quod, uti in statu naturali simpliciter obtinet, ita præternaturali statui pariter, sed mutatis subinde mutandis sub enormi, scilicet ejus latitudine applicari debet. Quævis in statu præternaturali urinæ tinctæ gradualis ab Acido in morbis acutis cruditas, seu contentorum firma concentratio à prævalente Acido; Coctio, seu eorundem separatio, ab infracto eodem, dependent. *Concreta salina tartarea* in chronicis; & speciatim hypochondriacis, ab Acido præternaturali, urinoso terreas ferè fixiores particulas coagulante, nascuntur: *ruffa* quidem potentiori existente efficienter Acido; *candida* verò copiosiori existente materia terreo-urinosa. *Crusta glauca* parietibus matulæ affixa, ex urinosis fixioribus pinguibus particulis inviscatis constat, unde & Acido superveniente facilè in tartarum ruffum coagulantur plura in hunc locum qui vult, legat *WILLISIUM de Febribus*, ubi adjuncta *Dissertatio de Urinis*: item *MOEBIUM de Fundament.* & *Institutionibus*, & *RIEMSCHNEIDERUM*, qui *elegãter de urina & judiciis hinc* ferendis scripsit.

Varia autem simul cum urina reddita videbitis in *BARTHOLINO de Lacteis Thoracic. c. 9. DEUSINGIO de Aliment. Depurat. §. 10. HORSTII Manuduct. ad Medicin. p. 189. CLAUDIO Consil. 40. Colle in Cosmetor Medic. pag. 318.* Insecta etiam in urina notat *BARTHOLINUS Cent. 4. p. 378.*

Cœterum, uti non rarò, imò sæpissimè, fallax & incertũ est urinę judicium, de quo vid. *HILDANUS C. 3. Observ. 73.* in specie in febribus malignis, quod expertum vid. *SCHENCK. l. 2. Observ. p. 278.* ita & *Pulsus* non rarò valdoperè fallit: vid. *SCHENCK. l. a. p. 287.* non tantùm pro varietate affectuum, ex variis circumstantiis ortorum, sed variæ etiam pulsuũ Anomaliæ & inordinationes naturaliter quibusdam contingunt, observante hoc *DEODATO in Valetud. p. 67.* & *SCHENCKIO l. a*: adeò ut quasi unusquisque naturalis pulsus anteà præcognitus esse debeat, priusquàm judicium certum de eo in morbis immutato ferri possit.

Causæ fallentes ad 4. capita reduci possunt:

1. *In malignis affectibus* vel maximè fallunt subindè quando optimo & saluberrimo Pulsu moriuntur ægri: vid. *HILDANUS*. Fit autem in talibus morbis, ubi miasma malignum immediatè animales alloquitur, minus verò massam sanguineam afficit; hinc Pulsu optimo & optima urina moriuntur Patientes, & *Pulsus pessimi* in febricitantibus mulieribus non rarò Medicos fallunt, teste *PANAROLLO Pentecost. 4. Observ. 48.* proinde in morbis malignis debemus esse cauti.
2. *Fallunt* etiam *subinde in Scorbuticis & Hypochondriacis* confirmatis, in quibus propter depravatam massæ sanguineæ crasin & fermentationem inæqualem tot sæpè miræ anomaliæ diversæ pulsuum tantùm non in horas mutabilium, imò Pulsus interdum adeò mali deprehenduntur, ut in aliis morbis mortem prædiceremus, ubi tamen iterum in hora boni fiunt, & ægri convalescunt.
3. *Fallunt nos Pulsus* ex *vario sanguinis fermentativo motu.*
4. Fallunt nos *ratione affectuum ægrotantium*, qui prout sunt nunc tristes, nunc læti, nunc curis obsessi, nunc sacra meditantur, nunc prophana, &c. toties Pulsus variat.

Item *varii Pulsus & distincti* in eodem subjecto observantur, dum Pulsus in dextro carpo optimus, in sinistro pessimus observatus fuerit, idque ob ulcus & abscessum in pulmonib⁹ illius lateris, teste *BARTHOLINO Volum. 1. Actorum Haffniens. p. 18.*; adeò, ut in Pulsuum cognitione & judicio omnia à Medico sint consideranda, & ægri status & variæ circumstantiæ perscrutandæ, ut ut raræ quædam mirandarum ex Pulsu prædictionum historiæ hinc inde etiam prostent, quas videbitis in *SCHENCKIO loco allegato pag. 268, & BARTHOLINO Centur. 5. Histor. 37.* in quo ipsomirum quantum excellunt Medici Sinenses & Iaponenses, ita ut mirificè excellant in diagnosi & Prognosi Morborum ex Pulsu.

Pertinet huc *Pulsus Amatorius*, de *quo quæritur, an detur? & an distinctus sit à reliquis Pulsibus*, propriusque sit solis Amatoribus? Occasionem dedit Erasistratus, qui ex Pulsu cognovit, *Seleuci* filiũ *Antiochum*, erga novercam *Stratonicam*, amore fuisse inflammatum. Respondeo: Pulsus Amatorius quibusdam distinctus est à reliquis Pulsibus, sicuti de hoc *HORSTIUS pater* eleganter *Tom. 1. Operũ, Dissert. de Natura Amoris p. 435.* judicavit. Verum determinatus Pulsus Amatorius non est, sed si reliqua recte se habeant, admodum varia; in specie prout in Amore multiplicati sunt Affectus, Pulsus specialissimus erit frequentissimus & celerrimus.

Ex Pulsu ipso *duo saltem cognosci*, & exinde *Prognosis* institui potest. Nempe

1. *Status Fermentationis Vitalis sanguinis in præcordiis.*
2. Ex *fermentante*, & consequenter plus minus *spirituascente sanguine virium* vel robustiorum vel infirmiorum *conditio*.

Intelligitur per *Pulsum palpitatio arteriarum*. Modus, quo cognoscitur, limitatur sub his circumstantiis: Nempe Pulsum pertentet Medicus *pulpà trium digitorum* priorum, nempe indicis, medii, & annularis. Et quidem digitis tribus tangenda (1) Pul-

Pulsus arteria est, ut facilùs cognosci queat ejus inæqualitas, quæ unicô digitô non cognoscitur. Deinde (2) pertentet etiam Medicus Pulsum, *digitos nunc fortiùs imprimendo, nunc suspendendo*, ut varietates Pulsus cognoscere possit. Meliùs enim percipit Medicus Pulsus vehementiâ & magnitudinem impressis digitis; suspensis verò digitis mollities & Parvitas ejus faciliùs deprehenditur. (3) Ratione loci usitatû est, ut tangatur in *carpo manus* interdum tamen (α) non deprehenditur in summa debilitate ægri (β) in carnosioribus subjectis, ubi profundiùs arteriæ sitæ, tunc naturalis Pulsus vix deprehenditur. (γ) Si sudant ægri in febribus, non consultum est, denudare ipsius bracchia: Ideoq; etiam præter carpos in aliis locis Pulsum pertentet Medicus. Locus talis est in summitate temporum, ubi ramulus arteriæ carotidis satim sub cute latet, qui facilè deprehendi potest; vel etiam tangitur pulsus in interstitiis pollicis & indicis, de quo vid. *RHODIUS Centur. 2. Hist. 44. TULPIUS l. 3. Observ. c. 45*; vel loco carpi alius locus quærendus, ubi arteria minus est profunda & visu cognoscibilis, & ibi in tali casu facillimè investigatur. Si in his non procedit, circa poplitem tangêdum, quod ipsum *AMATUS LUSITANUS C. 1 Curat. 96.* jubet, & faciliùs deprehenditur Pulsus: Interdum vel arteria tarsi tangenda in pede prope secundum digitum. Verum relicto ultimo, priora tria loca sufficiunt, sc. Carpus, interstitium pollicis & indicis, & Tempora. (4) Necesse est, ut Medicus *Pulsum in duobus carpis pertingat simul* quia sæpissimè insignis differentia in utroque carpo deprehenditur, quando Pulsus unius carpi non respondet Pulsui alterius, uti subinde occurrit in Praxi mihique sæpiùs evenit, & nisi attentè & cautè agamus, facilè decipimur: vid. *HOEFERUS in Hercule Medico p. 89. M. A. N. C. Ann. 9. & 10. Observ. 61. p. 153. sequ.* Ratio Variationis latet in instrumento, nempe Arteria: observatum enim est, quod propter tumorem occultum vel latentem sub alis arteria compressa, & hinc Pulsus immutatus, atque in hoc carpo vix deprehensus, in altero benè observatus fuerit. Sic *BARTHOLINUS* quoque observavit in dextro carpo Pulsum optimum: vid. *SCHENCKIUS & RHODIUS in Observationibus.* (5) Medicus non contentus sit unâ vice tangendo Pulsum, sed subindè repetat sæpiùs, quia ægri ratione variorum affectuum subinde mutant Pulsum: e. g. quando lætantur in Accessu Medici, aut contristantur; idemq; bis vel ter in una Visitatione tangat Pulsum, ne aliàs decipiatur in signis inde petendis.

Causas quod attinet *Pulsus*, earum tres in genere differentes, & variè mutantes sunt:

1. *Causa est sanguis turgescens & fermentando rarescens in præcordiis.*
2. *Est Cor, quod suâ contractione, beneficio spirituum animalium irruentium sanguinem rarefactum evibrat.*
3. *Arteriæ recipientes, & ulteriùs sanguinem evibratum per totum corpus diffundentes.*

Immutantes Causæ variæ sunt, distinguuntur secundum res naturales, nonnaturales, & præternaturales. V. g. *ex rebus naturalibus* alius est Pulsus pueri, alius juvenis, alius viri, alius senis, alius dum sum9 jejuni, alius est post pastum. Ex *rebus Non-Naturalibus* variat ratione Affectuû, ratione Assumptorum, ratione Excretorum & Retentorum. Quoad *res præternaturales*, Ratione morborum afficientium massam sanguineâ quales causæ variantes sunt tantum nô innumerabiles. *Hinc est, quod ex Pulsu nô semper signa apodictica fluant, sed subinde dubia & fallacia.*

In Pulsu ergò pertentando 4. Requisita attendenda sunt:

1. *Cor movens*, ratione cujus in motu vigoris Pulsus evadit vel *fortis* seu *vehemens*, vel *debilis*, indeque virium vel constantium vel deficientium signum exhibet.

Pulsus vehemens est, quando cum impetu & validè distenditur arteria, ut quasi feriat pulpam digiti. Causa est Impetus & Vehementia spirituum animalium, cor vehementiùs contrahentium. Indicat fortem cordis contractionê, hinc vires validas & robustas, & præsagium exinde faustû est; econtrà *Pulsus parvus & debilis* innuit imminutas & prostratas vires; funestum signum est, funestum exitû præsagiens.

2. *Sanguis mobilis ratione suæ turgescentiæ fermentativæ*; unde Pulsus est vel *magnus* vel *parvus*, adeoquè vel laudabilioris vel defectuosæ fermentationis in sanguine judex.

Magnus est, quando sanguis insigniter turgescens & fermentans arteriam valdè distendit, secundùm omnes Quantitatis dimensiones. *Parvus est*, quando sanguis ita non turgescit, & arterias minus distendit. Modus cognoscendi est facilis: quando enim arteria plena & turgida est; dicitur magnus; quando vacua & flexuosa, Pulsus oritur parvus. Additur ab aliis hæc differentia: Pulsum esse vel plenum vel vacuum. Verùm rectè rem ponderantibus, est unus idemque Pulsus cum magno & parvo. *Pulsus magnus in statu agro & sano*, semper *indicat virium robur, propter insignem & optimam sanguinis turgescentiam:* hinc *Pulsus magnus* semper *est bonum signum*, in specie in febribus, specialissimè in benignis; inuit enim æqualem concursum ⊖ium in corpore, & consequenter laudabilem sanguinis statû. *Pulsus parvus rarò bonum signum* est *in febribus, in specie malignis, ubi est pessimus*; si *celer & parvus* simul seu *formicans, contigerit, admodum pravum omen est, ex quo vix emergunt ægri.*

3. *Instrumentum seu Organon*, per quod fit sanguinis turgescentis motus, nempe *Arteria* mota & dilatata, pro cujus conditione Pulsus vel mollis vel durus existit.

Pulsus mollis est, quando ad tactum arteriæ facilè cedit; *Durus est*, quando renititur, & quasi indurata est. Causa est Arteriæ major vel minor tensio & flacciditas. Interim *molior Pulsus melior est duro*; quæ *arteriæ duritiem nil aliud est, quam spasmus quidam, aut convulsiva fibrarum mêbranæ arteriæ contractio*, indeq; in distensione renitentia existit, & membranam in quodam loco affectâ dolentem aut spasmo correptam innuit, uti in inflammationibus partium internarum, pleuriticis, nephriticis, &c. obvium est: aliàs rarò observatur.

4. *Tempus*, quod monstrat motus durationem in pulsu, observabile, & cujus ratione binæ differentiæ emergunt, vel in una saltem pulsatione, unde Pulsus vel celer, vel tardus; aut in pluribus ictibus, unde Pulsus vel frequens vel rarus. Quæ ipsa temporis ratio utplurimum à diversa sanguinis fermentantis côditione dependet; prout enim cor à sanguine, intensiùs aut remissiùs fermentante, magis vel minus irritatur, etiam frequentiores aut rariores, celeriores aut tardiores hujus fiunt contractiones, & consequenter pulsationes. Vid. hîc; quia perspicuus, omniumque optimus, *SILVIUS in Dissertat. Medicis, Dissertat. 3. §. 37. & sequ.*

Pulsus *celer* est, quando subitò attollitur seu dilatatur Arteria; *tardus* est, quando pedetentim attollitur. Celer oriturà valida & subitanea cordis contra-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0258-7 DFG

tractione, imprimis propter irritationem cordis à spirituum impetu celeriter factam, hinc subitò & cũ impetu evibratur sanguis, & dilatatur arteria. Tardus oritur, quando cor movetur tardiùs, & sanguis lentiùs promovetur, arteriaque distenditur. *Pulsus celer, cæteris paribus bonum signum est*; innuit enim motum spiritum validum, utut irritatum, & observatur imprimis in morbis acutis & gravioribus animi affectibus. *Pulsus tardus innuit* vel vires spirituum animalium prostratas, vel lentam & imminutam sanguinis in corde turgescentiam. *Pulsus frequens* est, quando crebrò movetur Pulsus unus post alterum, & sæpiùs ferit digitum. (πυκνὸς πυκνὸς) Rarus est, quando rarò & intercedente temporis spatio Pulsus fit. Frequens fit vel propter auctam massæ sanguineę turgescentiam in corde, vel propter depravatam ipsius fermentationem unde crebriùs contrahitur cor, arteriaque distenditur. *Causa proxima ergò est cordis vehementior irritatio*, propter *sanguinem* nimis vitioseque *turgescentem*: hinc est, quod *Pulsus frequens signum pathognomonicum febrium*, à *causa externa provenientium*, *habeatur*, ita ut etiam in malignis non deficiat hic Pulsus. Frequens hic Pulsus, cœteris paribus, innuit vires adhuc validas, & cor insigniter irritatum, monstratq; febrem præsentem: si simul est magnus, bonũ signũ est; sin simul parvus & celer, pessimum signum est, & formicans dicitur.

Nunc quoque, ut Pulsuum differentias consideremus, ordinis ratio postulat, quæ vel dicuntur *absolutæ* vel *respectivæ*; quæ vel considerantur in se, vel habitâ collatione plurium Pulsuum inter se. Ratione prioris emergunt absolutæ; ratione posterioris respectivæ differentiæ.

Differentiæ Pulsus absolutæ in genere *sunt vel simpliciter* vel *compositæ*. *Simplices* sunt jam explicatæ Hæ differentiæ Pulsuum simplices invicem collatæ Compositas dant differentias, quando v. g. quis citò currit, Pulsus evadet celer & parvus, sicut in somnolento quodam deprehenditur Pulsus in vehementia, magnitudine & celeritate moderatus, qui est Pulsus compositus; item pulsus parvus, frequens & debilis simul, est pulsus compositus; in pleuritide magnus frequens, & cum celeritate moderatus. Et hæc sufficiũt pro Medico. Possunt enim facilè cognosci pulsus compositi, modò habeatur simpliciũ differentia. Quod attinet respectivas pulsuum differentias, multæ hîc recensentur à Galenistis; sed rectè Montanus & Plempius dixerunt, *Galenus, plures Pulsuum differentias finxisse, quàm in ægris deprehenderit. Respectivæ ergò Pulsus differentiæ*, quando plures conferuntur, mutuò nempe inter compositas habito respectu, vel *æquales* sunt, vel *inæquales*; sicut diastole arteriæ collata cum ejus systole, pulsum dat vel ἔυρυθμον, vel ἄρυθμον. *Pulsus æqualis* dicitur, quando plures pulsationes inter se collatæ se habent eodem modo, in eadem nempe magnitudine & celeritate. *Inæqualis* dicitur, quando differentia aliqua percipitur. Pulsus hic æqualis est vel simpliciter talis, vel secundùm quid. *Inæqualis simpliciter* est, quando in nulla conveniunt pulsatione, sed omnes differunt, ita ut secundus non sit idẽ cũ primo pulsu, tertius cũ secundo, &c. *Inæqualis secundum quid* est, quando tempus in quibusdam pulsationibus differt, in quibusdam convenit: v. g. quando primus, secundus & tertius similes sunt, & pulsus quartus differt.

Omnes hæ differentiæ, quo plus recedunt vel à statu naturali, à cõditione ægri, à ratione morbi & causa morbosa varia, eò sunt pejores; quo minus, eò meliores. In specie debiles, parvi, & frequentes juncti, &c. *sunt* omnium *pessimi. In magnis tamẽ doloribus*, v. g. *pleuritide cum febre ardente juncta*, si *pulsus fuerit parvus, neminem terreat.* Confer. *BARTHOLINUS Centur. 5. Histor. 37.*

Inter inæquales pulsus, *intermittens & deficiens* seu *aliquantulum cessans*, nunc inter plures, nunc inter pauciores pulsationes: e. g. quando prima, secunda, tertia & quarta pulsatio adest, nona iterum non, *solet non sine causa esse terribilis Medico*, quia sæpè *est lethalis ægroto.* Defectus hic contingit

1. Ratione Virtutis moventis, quando enim vis movens seu vis pulsifica cordis nõ est sufficiẽs, necessariò una vel altera intermittitur pulsatio.
2. Quando sanguis malè se habet, ut ejus turgescentia vel fermentatio velit cessare.

Nihilominus quælibet ante omnia circumstantiæ benè perpendendæ sunt, antequam feratur judicium. Non semper enim sunt lethales, teste *WIERO in Observ. de Febribus malignis, ZACUTO LUSIT. l. 2. Medicor. Principũ Hist. 4. MARC. DONATO Hist. Medic. Mirabil. l. 7. c. 8. BARTHOLINO l. a.* Nam, ut taceam abolitum arteriarũ Pulsum ad plures años observatũ fuisse à *RONSEO Epist. 11. p. 41.* & *RHODIO Cent. 2. Observ. 42. & 43*; vel saltem eundem in quibusdã subjectis digito applicato non sentiri, quale exemplum videbitis in *BARTHOL. Cent. 4. Hist. 42*, sicut *totalis Pulsus ad sensũ cessatio & Asphixia* observata est in M. A. N. C. *Ann. 3. Observ. 221.* & *Observ. 334. in scholiis*, & à *SIMONE PAULI in Parechasi de Febribus Malignis* §. 58. *BALLONIO l. 2. Epidem. & Ephemer. p. 195. RIOLANO Eucheirid. Anatom. l. 5. c. 46. HENNRICO ab HEER Observ. 26. RONSEO loco allegato p. 34. certè interdum ex variis causis impedimentum occurrit*, quo *minus arteriæ pulsare queant, utut res careat periculo*, modò benè cognoscatur origo. Sic ob præsentem *plethorã*, indeq; impeditum sanguinis motum, pulsum interceptum videbitis in *SCHENCKIO l. 2. Obs. ubi de Pulsu*; & in hypochondriaco malo confirmato, ac scorbuto expertis, est nota ingens in pulsu variatio, cum non rara ejus intermissione: vid. *SALMUTH Cent. 1. Hist. 94*, quæ tamen periculo sæpè carẽs, subinde fortiter cum palpitatione cordis recurrente eodem: conf. M. A. N. C. *Ann. 2. Obs. 237. p. 339.* & *Ann. 9. & 10 Obs. 91.* Sic ob *tumores occultos*, cõprimente in aliqua parte arteriam, impeditur ejus debita dilatatio, unde observatur & deficit pulsus in una manu, qui cò erit manifestior in altera, de quo vid. *PANAROLLUS in Pẽtecost. 1. Obs. 32. Cordis* item *auricula, à materia crassa & pituitosa referta* dat pulsus inæquales & intermittentes, teste *RIVERIO Observat. 77. Centur. 2.*

Imprimis tamen *solet subinde intermittere pulsus minori cum periculo* in tribus casibus: nempe

1. In *febribus malignis*,
2. In *pleuritide*,
3. In *malo hypochondriaco* cõfirmato, aut scorbuto.

Quadruplex autem pulsus deficientis differentia observanda est, dum quædam est *apparens*, quædam *naturalis*, quædam *præternaturalis*, quædam *artificialis*, I. *Pulsus apparens* est, quando arteria vel propter incõvenientem situm, vel propter tumorem, minus cõmodè percipi potest, ut planè videatur deficere, quod tamen nihil in recessu habet. II. *Pulsus* quidem *deficiens naturalis* fit propter certam quandam idiosyncrasian. Sic observati sunt certi homines, in quibus pulsus naturaliter per aliquot pulsationes intermiserit & defecerit. III. *Pulsus præternaturalis intermittens* interdum observatur in Pleuriticis, ubi interdum, ut sæpiùs observavi, nunc quarta nunc septima pulsatio deficit. Item in Scorbuticis deficiens subinde deprehenditur pulsus, quãdo propter Acidũ sanguis ad grumescentiam plus minus disponitur, ut

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0259-5 DFG

hinc inde grumi sanguinis colligantur, qui motum arteriarum impediunt. Ex quibus patet, pulsum deficientem p.n. malum signum esse. IV. *Pulsus deficiens artificialis* fit ex ligatura arteriosarum partiũ in venæ sectione, quo minus possunt pulsare: inde simus cauti, ne, quando post venæ sectionem, arteriâ ligatâ, deficit arteriæ interceptæ pulsatio, vi morbi eundem deficere putemus. *Exinde liquet, Pulsum Deficientem nunquam esse faustum signum; innuit enim vim animalem prostratam vel sanguinem turgescentiæ & fermentationi ineptum.*

Inter Pulsus inæquales est etiam *Pulsus myurus*, seu Cauda muris, dictus propter similitudinem, quẽ habet cum cauda muris, quod semper *successivè fit minor*, ita ut secundus pulsꝰ sit minor primo, tertius secundo, & quartus tertio. Myurus hic duplex est, vel deficiens reciprocus aut recurrens. Myurus *deficiens* est, quando successivè in tantum deficit arteriæ motus, ut tandem planè cesset in magnitudine & vehementia. *Reciprocus* Myurus est, quando ad antiquum vigorem redit, antequam planè deficiat. Causa latet nunc in sanguine, nunc in corde. Si successivè deficit in motu arteria, innuit vim cordis motricem vitalem non esse adeò validam. Myurus *hic* pulsus *deficiens est inter signa pessima.*

Inter hos Pulsus intermittentes numeratur & *Caprizans*, dictus à similitudine capræ, qui reverâ idem est cum *Pulsu dycroto* seu *bis feriente* in una pulsatione, quando arteria ita dilatatur, &, antequam cõtrahitur, de novo dilatatur, ut ita duplicem quasi ictũ edat. Causa est reiterata cordis contractio, propter vehementem ejus irritationem, quando sanguis vitiosè effervescens parenchyma cordis denuò irritat, & ita cor duplicatâ contracturâ removere nititur sanguinem, nisi aliud malũ adsit in auriculis cordis. Innuit quidem vires validas, sed sanguinis vitiatam fermentationem seu insignem ametriam sanguinis.

Denique differentia insignis est, quando Pulsus dicitur Undosus, ubi sanguis successivè moveri, & fluctuum undarum instar pelli, percipitur, ita ut nũc sub primo, nunc sub secundo, nunc sub tertio digito motus arteriæ deprehendatur. Pulsus hic in his, qui sub lecto sudant, semper est observabilis. Oritur & compositus est hic Pulsus ex magno, in vehementia & frequentia moderato, & cum aliquali celeritate conjuncto, innuitq; sudorem imminentem, sive jam adsit, sive futurus sit in morbis acutis per crisin. Oritur ex fermentatione blanda & moderata sanguinis, cum blanda cordis irritatione.

Pulsum hunc sequitur Formicans seu Vermicularis, quasi formica repens (wann es pippert unter dẽ Fingern) Compositus est ex Pulsu minimo, celerrimo, & frequentissimo. Indicat vires prostratas, & sanguinis fermentationem & turgescentiam planè deficientem. *Omnium pessimus est, & Agonizantibus subinde* solet *esse frequens*: fluctuat enim magis sanguis in ventriculo cordis, & propter parvam turgescentiam cor se non potest contrahere.

Ultimo loco est Pulsus *Convulsivus*, quando arteria sub tactu convelli & quasi retrahi percipitur. *Innuit imminentes convulsiones & epilepsiam* cum aliquali contractura. Oritur ex vitio arteriæ, & ejus fibris magnitudine irritationis convulsis. *Pessimum signum est.*

In Pulsu observandus etiam ordo & rhytmus, unde dependet Pulsus *æqualis* & *inæqualis*, *ordinatus* & *inordinatus*. *Pulsus ordinatus* est, quando plures pulsationes invicem collatæ eandem habent constitutionem. *Inordinatus* est, quando plures pulsationes inter se collatæ inæquales sunt, ut alius ab alio differat. Fundamentum omnis inordinationis consistit vel in corde movente, vel in sanguine. *Ordinatus Pulsus est bonum signum, omnis autem inordinatus pessimum: indicat enim labefactatam sanguinis turgescentiam & fermentationem, indeque vires prostratas, tam vitales quàm animales.*

Per *Rhytmum* intelligitur concentus tonorum seu Concentus Musicus, & est nihil aliud, quàm proportio certa systoles & diastoles seu Constrictionis & Dilatationis arteriæ pulsantis, estque vel

1. Εὔρυθμος, quando Systole & Diastole se habent eodem modo & tempore; Vel
2. ἄρυθμος, quando non eodem modo se habent cordis systole & diastole.

Et quidem, ut meliùs pateant, adhibent plerumque notas Musicas, ratione quarum metiuntur: Nam *si systole & diastole est instar Notæ Brevis, Pulsus est* εὔρυθμος; *si verò instar Brevis & semibrevis systole & Diastole differunt, Pulsus est* ἄρυθμος. Fundamentum hujus diversitatis consistit in motu cordis sanguinem promoventis & distribuentis in arterias, & ex his in venas. Si enim eodem modo sanguis ex corde ejaculatus fuerit, in arterias, & simili modo ex arteriis in venas, Systole & Diastole conveniunt, Pulsusque oritur εὔρυθμος. Quando autem sanguis celeriùs movetur, & citiùs ex corde in arterias, quàm ex arteriis in venas, ejaculatur, fit Systole lõga & Diastole brevis: e contra, si movetur sanguis citiùs ex arteriis in venas, quàm ex corde in arterias, fit Systole brevis, & Diastole lõga vel tarda. *Pulsus* εὔρυθμος *bonum signum est*; indicat enim æqualem distributionem sanguinis: *Pulsus* ἄρυθμος *malum signum est*; innuit enim defectum motus cordis & vitium. Nam quando Diastole brevior est, quàm Systole, innuit stagnationem sanguinis in loco quodam; si autem Diastole est longior vel tardior, quàm systole, innuit motum sanguinis per cor impeditum, aut cordis affectum. Hæc pauca de Rhytmo Pulsuum.

De Instrumentis seu libris sphygmicis, à quibusdam sagacibus Pulsus scrutatoribus inventis, quarum applicationis beneficio Qualitates Pulsuum dimetiri & applicari solent, aliquid dicendum esset: quia autem magis subtile, curiosum & magis speculativum inventum sit, quam expertum Practicum, meritò hîc omitto. Plura tamen qui cupit de iis legere, videat *SANCTORIUM in Commentar. in Fen. 1. Avicennæ Proœm. Quæst. 6. SCHOTTUM in Magia Natur. P. 3. l. 4. Syntagm. 3. Pragmatol. 9. MARCUM MARCI de Proport. Motus, Proport. 41.*

Sicuti *Diagnosis* rerum præternaturalium *ad Pathologiam* pertinet, ita *Prognosis ad Therapeuticam.* Cùm enim in omnibus Curis non raro plus arte Medicâ valeat gravius Malum, subinde necesse est, ut maturè artificiosâ conjecturâ præcognoscat Medicus, an & quomodo curabilis sit affectus, adeoque & eventum morbi, & tempus eventus, & modũ, eventus artificioso prognostico eruat.

Neminem autem Prognostico relinquat, quia nunquam omnia adeò manifesta esse possunt circa ægros, ob specialem uniuscujusque individui idiosyncrasiam, quin interdum hujus ratione miracula in Medicina fieri videantur, & ii, qui conclamati putantur, præter spem subinde convalescant.

In Prognosi autem tria accuratè attendenda sunt à Medico:

1. *Ut prognoscat, qualis eventus sit futurus? item, an possit ægrum curare? an non? an verè? an verè palliativè?*

2. Ut

2. Ut præcognoscat *tempus eventus, an morbus futurus sit longus? an verò brevis?*
3. *Ut simul cognoscat, quomodo morbus finiturus sit? an finis morbi subitaneus sit expectandus? an verò paulatinus? scilicet per lentam morbi solutionem.*

Fundamentum legitimæ Prognoseos cujuscunque est circumspecta consideratio *Roboris naturæ Patientis*, & *Violentiæ morbi*, & horum collatio mutua: quorum quod prævaliturum judicatur, & quomodo? eò vergit omnis Prognosis. Necesse ergò est, ut hæc duo perpendat Medicus, sic tandem firmam conjecturam concipit, an natura morbum, an verò morbus naturam superet?

Ex his Generalibus & *Eventum*, & *Tempus*, & *Modum* Eventus cognoscat, quid prævaliturum sit? Jam autem, ut hæc duo, nempe natura morbi, & Vires ægri rectè considerentur, tres fontes Prognoseos insignes hîc se offerunt, scilicet ii, qui in diagnosi fuerunt. Sed fit hoc interdum ineptè & indirectè. Desumuntur vel

1. Ab antecedentibus causis.
2. Ab essentialiter Inhærentibus & Attributis, vel naturæ, tam ægri quàm ipsius morbi, propriis.
3. Denique ex consequentibus ipsis symptomatis, nec non Juvantibus & nocentibus.

Quoad Fontem primum, nempe Antecedentia, prout causæ plus vel minus sunt validæ, prout benignæ vel malignæ, quatenus plus vel minus affligunt corpus, quatenus concordat tempus anni, quatenus causæ morborum vel epidemicæ, vel endemiæ, vel propriæ, &c. Ratione harum causarum Medicus vel vim morbi illati, & robur naturæ prostratæ colligere potest.

Quod attinet secundum Fontem, prout plus vel minus ægri constitutio inclinat in hunc vel istum morbum, eò plus etiam morbi validiores & magis periculosiores sunt. Hinc attendatur constitutio subjecti ratione ætatis, sexus, vitæ generis; diætæ, &c. sic multum lucis affluit legitimæ prognosi: e.g. epilepsia affligens Adultos, non adeò periculosa est, quàm quæ affligit infantes; nam infantum constitutio magis proclivis est ad epilepsiam, & consequenter magis periculosa, Adultorum minus. Sic si corripitur juvenis aut mulier gravida febre quadam maligna, diversa est ratio; in gravida enim est longè periculosior, cùm & debilitas naturæ, & metus abortus, talem morbum exaggerare queant. Sic quando delirium corripit juvenem & senem, diversa est ratio; juvenis enim evadit facilè, senex rarò. *Essentialiter Inhærentia morbo innuunt* ejus *naturam, an benigna an maligna? an* plures vel pauciores *lædantur functiones? an* eæ sint tales, & *vitam concernant? an morbus* sit *acutus*, an verò *Chronicus? an* affligantur *partes nobiles*, an vero *ignobiles?*

Primario Prognosis cognoscitur ex Fonte tertio, *ex symptomatis* nempe *consequentibus:* Quæ quo sunt graviora, & magis lædunt functiones, eò periculosiorem morbum innuunt. Pertinet hûc in morbis acutis signa Cruditatis & Coctionis, & excretorum [illegible]riorum: nam quò citiùs signa Coctionis apparent, eò levior futurus est morbus. Huc pertinent quoque *Juvantia & Nocentia:* nam si remediis vis morbi infringitur, faustum signum est; si verò juvantia minus juvant, sed potiùs nocent, majus periculum adest.

Primarius autem Fons ex his tribus est symptomaticus, ex quo optimam conjecturam potest colligere Medicus. Observetur autem

1. Quod symptomatum alia vis sit significandi in morbis Acutis, alia in morbis Chronicis.
2. Quod insignis sit differentia ratione morbi vel maligni vel benigni, & inde natorum symptomatum, ac evacuationum. Verissimum enim est effatum *HIPPOCRATIS*; *Acutorum morborum incertas esse Prædictiones*; multò magis hoc valet, quando febribus his malignitas fuerit juncta, potissimum, cùm & *GALENUS*, *malignus febres non habere statuta ad judicandum tempora*, asserat: *fallunt enim Pulsus, fallit Urina*, &c.
3. In morbis acutis considerandus imprimis est motus naturæ, an signa prognostica sint criseos, an non?

Hîc in Prognosi laudandus est *MOEBIUS*, qui eleganter & fusè hæc signa pertractavit: Quæ autem ille non habet, vel majorem illustrationem merentur, proponam.

Hisce præmissis, in specie symptomata sunt evolvenda. Quoad *Symptomata Appetitus*, sunt ea, si Fames & Sitis sunt prostratæ. De iis verus est Aphorismus *HIPPOCRATIS*: *Si quis rectè se habet ad ea, quæ offeruntur, bonum est:* si scilicet æger sine nausea, & sine gravamine stomachi assumit, quæ offeruntur, bonum signum est; & contrà, *si in morbis etiam apparenter levibus Appetitus mox prosternitur, rarò bonum signum est, & ex unum ex primariis signis morborum malignorum.* Distinguendum autem hîc est inter Appetitum verum & falsum. *Falsus* enim est, quod etiam interdum ægris ferè in ultimo mortis agone evenit, & est quasi imaginarius, & *venit ex aliquali impetu delirioso*, quia ægri nesciunt, quid agunt, & *malum signum est, præprimis si per totum morbi cursum sine Appetitu fuerint.*

Sitim quòd attinet, sæpè fit, ut ægri maximè squalidâ sint linguâ & aridissimis faucibus, & tamen non sitiunt, quod ipsum pessimum signum est, si revera sitientes non sitiunt. Fit plerumque in morbis acutis dupliciter, vel partim quod sensus in faucibus penitus abolitus sit, partim si ægri delirant, & sub delirio non percipiunt sitim, malum signum est, & tunc iis vel *etiam nolentibus potus propinandus* est. Huc pertinet hoc symptoma, *quando ægris, dum bibunt, liquor deglutitus cum sonitu delabitur*, es klinget Fluck / Fluck &c. *pessimum hoc signum est*, ex *quo rarò evadunt ægri; innuit enim stomachi tonum planè resolutum, & naturam vappescentem.*

Pertinet huc, *quando ægri difficulter deglutiunt*, licet non adsit tumor, ac ulla sensibilis læsio in faucibus: In morbis acutis innuit summam siccitatem fibrarum musculosarum laryngis & œsophagi, quibus exsiccatis & quasi convulsis, non possunt deglutire. Malum signum est, præprimis in morbis acutis.

Vomitus etiam huc spectat, qui prout est varius, varia etiam Prognostica possunt institui. In *morbis malignis Vomitus continuus pessimus est.* Hoc ordinarium quidem est, ut in morbis malignis ex contagio haustis in principio morbi adsit nausea & vomendi conatus: sed *si in progressu morbi superveniat Vomitus*, isque *pertinaciter perduret, pessimum est signum*, & *plerumque mors sequitur*: & in talibus observatum fuit post mortem, quod *eschara quasi & incipiens gangræna* in eorum stomacho reperta fuerit. *In benignis morbis optimum signum est Vomitus*, sive in principio sit, sive in statu, ut fit in febribus intermittentibus, ardenti-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0261-2 DFG

bus benignis; innuit enim valorem naturæ. *Vomitus*, qui *superveniunt casui ab alto, percussioni* & aliis læsionibus *capitis, funestum sunt* signum; innuunt enim gravem læsionem cerebri, cranii & meningum, & nisi tempestivè instituatur *trepanatio*, mors sequitur.

Alvi dejectiones naturaliter fœtent: *si autem extraordinariè putredinosum fœtorem exhalant*, pessimum *signum est*, præsertim in morbis acutis. Dejectiones autem fœtentes *in Abscessibus*, ut in pleuritide, ulceribus renum, &c. *sunt bonæ*; innuunt enim ruptum abscessum & evacuationem puris per inferiora. Alvi *albæ dejectiones minus tinctæ*, tenues & fluidæ, in morbis *acutis admodum malæ*; tinctæ verò, & si aliqualem habent consistentiam in Acutis, bonæ sunt. *Omnes Diarrhœa colliquefactivæ sunt funestæ, & quidem semper in morbis acutis:* item *in phthisicis*, si in malo confirmato sponte *diarrhœa & tumor pedum* supervenit, mors in propinquo est. *Dejectiones nigræ* in morbis *acutis* sunt malæ; innuunt enim necrosin & mortificationem succorum; *Dejectiones verò nigræ* in morbis *Chronicis*, & indolentes, sunt sæpè faustæ, & fiunt cum levamine ægri: excipiantur etiam martialia medicamenta, per quæ assumpta dejectiones alvi colorem nigrum acquirunt. *Alvi Dejectiones sine sensu ægri* in morbis acutis pessimum signum sunt; innuunt facultatem animalem prostratam, & gravissima deliria imminentia. Intelligendum hoc etiam de urinis.

Lumbrici sponte prodeuntes vel *per alvum vel per os, raro sunt sine periculo*: nam vim mortis imminentem ac summam malignitatem in morbis notant; unde fugâ sibi volunt consulere. Hoc verum etiam *est de pediculis* in capite, si fugiunt, vel si *colliguntur circa regionem laryngis vel præcordiorum*, malum signũ est, quod observavi aliquoties: quandoque tamen etiam tales ægri, ubi pediculi auffugerunt, salvati sunt.

Quoad *Respirationem*, etiam multum in Prognosi valet, sicuti etiam una eademque Ratio est Pulsus. In ea autem differentia 7. attendendæ sunt:

1. An sit magna vel debilis? id est, an thorax valdè distendatur, an non?
2. An sit vehemens, vel debilis?
3. An sit celer seu velox vel tarda? id est? an subitò thorax amplietur, vel sensim?
4. An sit frequens vel rara?
5. An sit libera? an impedita? id est, an fiat cum, an sine difficultate?
6. An respiratio sit æqualis, vel inæqualis? Nam in Respiratione attendenda est Systole, quando thorax constringitur, & Diastole, quando thorax dilatatur.
7. An halitus exspiratus sit vel frigidus vel calidus?

Omnes hæ differentiæ dependent à tribus causis:

(1 à virtute animali movente.

(2) Ab ipso thorace, ejusque partibus reliquis ad respirationem facientibus.

(3) à sanguine impellente. Respiratio nempe variat pro sanguinis turgescentia in pulmonibus.

Quod attinet itaque Prognosin de Respiratione; *impedita & difficilis Respiratio* in progressu morbi superveniens semper mala est in morbis acutis, in specie in malignis, in quibus unum ex funestissimis signis est. *Respiratio magna & velox*, qualis cursu fatigatorum, simulque frequens, innuit rapidissimum sanguinis circulum & turgescentiam febris acutæ, unà cum robore Facultatis animalis moventis. Respiratio *magna, sed tarda*, innuit adesse delirium, quia non percipiunt ægri, sed urgentiâ respirant. Respiratio *frequens parva, simulque velox*, pessimum signum est, præsertim in morbis acutis: in talibus enim innuit deficientem sanguinis fermentationem seu turgescentiam, & incipientem stagnationem circa præcordia, cum facultate animali planè prostrata, quia impeditur respiratio ut plurimum vitio thoracis. Respiratio *frigida* semper pessimum signum est; ut plurimum enim jam Agonizantibus adesse solet: *quo magis calida* est, eò magis bonum signum est. Fervidissima ex summo sanguinis oritur æstu.

De *Pulsu* & *Urina* superiùs dixi. Hæ autem considerationes in morbis malignis interdum fallunt. *Magnus Pulsus* in omni morbo semper faustus est: *parvus* in omni statu semper est malus: *celer, frequens, parvus*, &c. semper pessimus est. *Urina coctionis* signa non exhibens, dicitur tenuis; quæ verò est *turbida, crassa*, sedimentis copiosis referta, talis est bona; quo *citiùs fit*, eò meliùs est.

Pertinet huc syncope ex variis causis orta. Observavi frequenter, eam esse ex affecto stomachi orificio sinistro; tales autem minus funestæ sunt; optimè præcaventur per Vomitoria maturè adhibita: econtrà *ex spirituum vitalium & animalium defectu*, ex sanguinis *impedito cursu, sunt funestæ & periculosæ*. In omni syncope adsunt *Anxietates præcordiorum: quas si inquietudines corporis necessariò insequuntur, omnes sunt funestæ:* Observetur tamen, quod hæ frequentissimæ sint ex stomacho, in specie in morbis malignis. Observatæ etiam interdum fuerunt syncopes in morbis malignis, quæ tamen sine anxietate fuerunt, quando scilicet neglexerunt Vomitoria, imprimis qui vomendi conatibus obnoxii fuerunt.

Lumborum dolor sine manifesta causa ex febre, hæmorrhoidum vel mensium instarium est signum: vid. *GABELCHOVERUS Centur. 2. Curat. 65. Annotat. p. 98.*

Quod attinet *Hæmorrhagiam narium*, ea ancipitem indicat eventum, estque vel Critica, vel Symptomatica. Critica salutaris est, si in sufficienti, non tamen nimiâ, quantitate contigerit. Nec Hæmorrhagiæ symptomaticæ, si sunt in principio, adeò contemnendæ sunt, nisi sint nimis copiosæ vel nimis recurrentes: In morbis autem acutis, & quidem præprimis in statu, funestæ sunt. Si sanguis paucus saltem per nares stillat, & quidem guttatim, malum signum est, præprimis si cum agrypnia ac ardore capitis combinetur; innuit enim naturam moliri aliquã hæmorrhagiam, quæ tamen propter imbecillitatem & inminutum sanguinis circulum non procedit.

Sanguis ex *secta vena*, si non egreditur fontis modo, sed tanquam ferè ex dolio, lethale signum est: vid. *PANAROLLUS Pentec. 4 Observat. 7. Hirudines* ano applicatæ, cùm hauriunt sanguinem bonum signum est; si istum verò attrahere relinquunt, aut attracto sanguine cito pereunt, lethale signum est; vid *PANAROLLUS l. a.* Inter lethalia signa, quæ certò mortem prænunciant, nullum observavit *IOHANNES STEPHANUS in Operib. Medicis Miscellan. pag. 449*, quod majoris sit momenti & veritatis, quam *frequens & insolens manuum ad nares admotio, sine ulla materiæ effluxione*; ubi enim ægri febricitantes identidem manus admotitant ad nares, quasi sordes exempturi aut nares emuncturi, si nihil talium fiat, pernitiosissimum est signum.

Vigi-

Universitäts- und Landesbibliothek Düsseldorf urn:nbn:de:hbz:061:2-171111-p0262-8 DFG

Vigiliæ frequentes sunt symptomata Morborum Acutorum, minus periculosæ sunt, nisi in longum protrahantur; sic enim deliria inferunt.

Somnus etiam huc pertinet. Distinctio tamen facienda est inter somnum nimium & impotentiam vigilandi. Hæc impotentia & somnus nimius, qui superveniens Vigiliis in delirantibus, pessimum signum est.

Delirium superveniens Vigiliis, est vel serium vel ridiculum. *Serium* est quando cum quodam impetu, furore, &c. delirant; si verò rideant, cantent, jocosa narrent, &c. melius est. Ista rarò sunt commoda. Hæc minus funesta, è quibus ægri facilè evadunt. *Muscarum venatio & succorum collectio*, das Bett-Zupffen/ mala sunt signa. Nam delirium, & simul motum in oculis convulsivum, & convulsiones supervenientes innuit: Hæc jam instantem convulsionem denunciat. Confirmatur hoc, si Medicus tangens Pulsum in regione carpi tendinum percipit motum seu agitationem, es Zupffet, si percipit variè movere digitos. Hæ autem Convulsiones omnes ferè sunt funestæ, observantur in morbis acutis malignis, & ægri rarò evadunt: Non tamen semper lethale signum esse, testantur M. A. N. C. *Ann. 3. Observat. 269.* & *BARTHOLINUS Actor. Medicor. Hafnienf. Volum. 4. Obf. 16. p. 50.*

Sudor frigidus, in omnibus morbis funestus est. In acutis, quando ægri non possunt sudare, & tandem sudor spontaneus, viribus prostatis supervenit, malũ signum est; fit enim ob defectum virium: *sudorque hic nil aliud est*, quàm *ros nutritivus partium solidarum* per *poros cutis sub forma sudoris emanans*; hinc *etiam talis sudor glutinosus*, & nonnihil viscidus percipitur, & est *signum lethale. Sudor particularis* circa caput rectè ab *HIPPOCRATE* malus dicitur; hinc rarissimum est, quod observavit *SCHNEIDERUS*, quod sudor capitis aliquando fuerit criticus, & morbum solvens.

Pertinet huc etiam *ingens corporis mutatio* citra manifestam aliquam causam, quâ Germani dicunt: Er ist so hefftig verfallen: non bonum, sed ominosum semper signum est, præsertim, si quando in principio morborum in facie accidit, rarò evadunt ægri. Specialiter habitus hic vocatur *Facies Hippocratica*, quæ est, si oculi sunt concavi, nasus acutus, tempora collapsa, auriculæ retractæ, frons dura, &c. in morbis chronicis mortem lentam, in acutis citam & infallibilem, demonstrat. Facit huc *insignis mutatio faciei in aliam formam*: quo magis à naturali statu recedit, eò res periculosior, imprimis si æger, in specie junior, & qui aliàs in statu sano nec *parentibus, nec avis, nec atavis fuit similis*, at sub cursu morbi ita mutatur facie, ut ante obitum *parentibus* vel *cognato cuidam similis* sit, est signum lethale. Observavit hoc *PACHEQVUS in Observ. Riverio Communic. 26. p. 659. BARTHOLINUS in Histor. Anatom. Centur. 4. Histor. 31. BORELLUS Centur. 2. Observ. 89. p. 181. GARMANNUS de Miracul. Mortuor. p. 143. FASHIUS in Ord. & Methodo Cognosc. Causam c. 28. p. 57.* & *PETRUS à CASTRO Tractatu de Febribus Malignis Petechial. cap. 4. §. 34.* Denique *facies coloratior non* semper *est bona*; *rubicunda enim, turgida & florida*, nisi hæmorrhagia narium sequatur Critica, *innuit Delirium certum. Lividus Color corporis* sæpiùs quidem mortem denunciat, sed, non semper, observante hoc *ZACUTO LUSITANO l. 3. Praxeos Admir. Observ. 10.* Qui colore sunt pallido, *& virentibus herbis* per quàm simili, *sunt fecinorosi*; sed splenetici sunt nigri & subcineritii, teste *FONTANO in Responsis & Curat. Medicis l. 1. p. 95. Aphorismus HIPPOCRATIS 62. Section. 4. & Coac. Sect. 1. Prænot. 172* non semper est verus: vid. *SENNERTUS Institut. l. 3. P. 3. c. 7.* & *Praxeos l. 3. P. 2. Sect. 2. c. 7.* ut & *HORSTIUS l. 1. Observ. 23.* ubi Icterus salutaris quarta die in continua febre obvenit; & *BARTHOLINUS Centur. 3. Histor. 4.* Observat Icterum in Quartana salutarem, ante septimum diem supervenientem.

Habitus & extrema, si modò frigeant, modò incendio urantur, si habitu mediocriter saltem calido, de ardore nihilominus interno ingemiscant ægri, malum est. Tremor artuum, si mox à principio febris malignæ corripiat ægrum, aut symptomatum soporosorum, aut convulsivorum indicium est.

Circa oculos etiam quædam observantur, quod rectè *PAULI in Parecbasi de Febribus malignis p. 19. Dolor* scilicet *in bulbis oculorum sine ophthalmia*, nec ullis aliis oculorum affectibus præsentibus, *funestissimum signum est*, si in principio morbi acuti de tali conqueruntur; mox enim *delirium & convulsiones adsunt*, quod sæpiùs observavi. *Oculi fulgidi* & quasi *ignei delirium furiosum* seu insaniam infallibilem portendunt: vid: *LINDANUS in Colleg. Practico super Hartmannum c. 18. Varii Colores* ante oculos apparentes, ac *Objecta peregrino colore vestita, convulsiones, deliria*, &c. innuunt. Visitavi ægrum maligna febre correptum, licet aliàs benè se haberet, dicebat; *me indutum esse pallio & veste cærulea*: imò omnis *niger color, cæruleus illi videbatur*; referebat patiens hæc talia mane, à meridie subsequebantur delirium & convulsiones, & tandem interibat. Oculi unius *minoritas* præ altero est *pessimum signum*: vid. *EPIPHANIUS Ferdinandus in Hist. Medica 27. p. 85. HOEFERUS in Hercule Medico p. 73. D. LANGIUS Dissert. de Morbillis.*

Quod *Auditus læsio* non semper sit malum signũ, vid. *ZACUT. LUSITANUS in l. 1. Medic. Princip. Hist. Dubio 40.* & *PAULI l. a. p. 18. & 19.*

Quoad Linguam, *lingua tremula* malum est signum. Si accedit *difficilis deglutitio* sine manifesta causa, rarò evadunt. *Fauces & lingua arida, scabra, nigra*, &c. sine ardore corporis ac æstu insigni, siti concurrente, &c. in morbis malignis periculosum & imminentis delirii signum est. *Lingua actualis frigiditas* est signum lethale: vid. *RIVERIUS Observ. 1. communic. à Jacotio.* Lingua in statu mollis & humidiuscula cæteris paribus bonum signũ est.

Quoad *Genitalia*, hæc sua signa etiam in maribus exhibent. *Retracta* malum signum esse solent; interdum enim convulsio partium internarum, die schwere Noth im Leibe/ supervenit. *Flaccida* autem, *mollia* & pendula, vires prostratas innuunt. Sub morbi cursu se interdum *erigentia* semper faustum signum sunt, & sufficit quibusdam Medicis hoc signum pro Prognostico bono faciendo. Obstetrices ex constitutione Genitalium judicium ferunt de sanitate puerorum recens natorum.

Punctum Prognoseos est Tempus eventus. Prognosis hæc formatur

1. Ex natura morbi; Quidam enim morbi naturâ non sunt acuti, quidam chronici: primariò natura morbum monstrat, an sit brevis vel non? In specie in morbis acutis, an brevior vel diuturnior morbus futurus sit, cognoscendum est primariò in ⊡ ex signis Coctionis, prout citiùs vel tardiùs, meliora vel pejora se exhibent, & sic morbum brevem vel longum prædicant; secundarò in aliis excretis.

2. A Constitutione Ægri.
3. Est modus Eventus, ut cognoscatur, quomodo finem morbus faciet.

Sex autem in genere modis mutationum eximiarum id fit: Nempe

1. Vel subitò mutatur in melius, & convalescunt ægri; vel
2. In pejus, & intereunt.
3. Quando subitò morbus mutatur in melius, ut successivè æger convalescat; vel
4. Mutatur in pejus subitò, ut successivè moriatur; vel
5. Successivè jugulatur æger; &
6. Quando successivè recedunt morbi, qui modus λύσις vocatur.

Primus Modus vocatur *Crisis*: Nempe *Criseos nomine* nil aliud intelligitur, *quàm subitanea mutatio ægri in melius*, vel sanitatem perfectam; *Crisis enim est Judicatio.* Nempe *Processus quasi judicialis* circa ægrum *in Prognosi* instituitur: *Reus* est *Æger*, *Actor* est *Morbus*, *Testes* sunt *Signa* utriusque partis, in specie quæ à consequentibus desumuntur; nempe ex parte ægri functiones, quæ adhuc sunt naturales, ex parte morbi symptomata: Patronus causæ seu *Advocatus* est *Natura*, quæ defendit Reum, & depellit injurias ab Actore injectas: *Judicis* vicem obtinet *Medicus*, qui judicium fert de convalituro vel morituro, vel condemnans alteram partem; vel judicium in re dubia & periculosa suspendendo, partes interdum ad *supremum judicium*, *Numen divinum*, *ablegans*.

Processus hic imprimis sub Crisi evidens est, sub qua subitanea fit mutatio, eaque vel in manifesto vel melius vel pejus: Ob talem enim parabolam mutatio subitanea, Crisis, quasi sententia judicis definitiva vocatur. Non autem promiscuè in omnibus morbis subitaneis tales fiunt, sed solùm in morbis acutis, nempe in peracutis, & acutis simpliciter, adeoq; saltem in iis cum turgescentia febrili insigni conjúctis. Morbi chronici & minus acuti propriè non patiuntur Crisin; fiunt tamen quasi Crises à quadragesimo die ad quadragesimum, test. *EPIPHANIO FERDINANDO Instit. p.32.* Morbi maligni imprimis diversas Crises subeunt, duobus nempe modis, vel per *Excretionem*, vel per *Metastasin* seu Translationem. Per *Excretionem* fit, si subitò, sub summo licet symptomatum insultu, mediante Excretione sensibili mirè levatur morbus & convalescit æger: per *Translationem* fit Crisis, si, erumpente tumore in loco, mediante hoc & ejus eruptione, subitò symptomata levantur. Ponam e. g. Patientem febre ardente correptum, ubi insignia sunt symptomata, Inquietudo, Vigiliæ, deliria, muscas capiunt, genæ rubent, tempora pulsant, &c. cum his symptomatibus septimo die accidit hæmorrhagia narium larga, unde omnia remittunt accidentia, æger exactè levatur, nihil restat, præterquam aliqua virium debilitas, & hæc Hæmorrhagia dicitur critica, & quidem Crisis perfecta, ubi etiam nequicquam materiæ morbificæ remanet. Ponam aliud exemplum: Æger correptus febre malignâ tempore æstivo, patitur deliriũ, jectigationes in lecto, &c. huic undecimo die circa genitalia insignes apparent Tumores, Bubones, qui vocantur Critici: Omnia enim symptomata per istam proruptionem Tumoris levantur, omnis febris evanescit, &c. & hæc Tumoris eruptio fit per metastasin seu translationem.

Crisis hæc non est semper una, sed variat ratione circumstantiarum; unde 1. est vel *perfecta* vel *imperfecta*: *Perfecta* est, in qua plenariò levatur æger, & totaliter causa morbifica eliminatur; *Imperfecta* est, quæ quidem fit cum levamine ægri, sed causa morbifica non penitus auffertur. 2. Crisis est vel *fida* vel *infida*: *Fida* est, cui & Medicus & Æger fidere possunt, quæ perfectè causam morbificam tollit sine recidiva; *Infida*, cui recidivæ subest motus, 3. Crisis est vel *tuta* vel *periculosa*: *Tuta* est, ubi minus gravia adsunt symptomata; *Periculosa* est, quæ cum gravioribus cincta est symptomatibus. Verùm nox, quæ Crisin antecedit, molesta est. Pro ratione loci variat Crisis: fit enim vel per nares, vel per menses, vel per sudores, vel per diarrhæam, vel per vomitum.

Hæ subitaneæ Mutationes non fiunt omni tempore promiscuè, sed legitimæ Crises fiunt in statu, quando scilicet concocta, subacta & præcipitata est causa morbosa sanguinis, unde ut plenariè sedetur morbus, & causa foràs ejiciatur. Necesse ergò est, ut coctio seu separatio causæ morbificæ præcedat. In specie observantur frequentes Crises, certis diebus incipiendo suppurationem à principio morbi acuti, & propterea ∝ Critici sunt in triplici differentia: Nempe

1. Dies Critici simpliciter dicti, qui sunt ii, quibus ordinariò Crises contingunt, suntque primarii 7. 14. 20, ratò ad 28. & ulteriùs extenduntur: in morbis peracutis etiam quartus ∝ dicitur, & fit interdum Criticus.
2. Indicatorii seu Contemplabiles sunt isti, qui certis signis Coctionis præmonstrant, quando futura sit mutatio Critica. Tales sunt ∝ intermedii inter Criticas, e.g, dies quartus est index septimi, undecimus est index decimi quarti, decimus septimus est index vigesimi: si enim quarto die incipiunt apparere perfecta Coctionis signa, Crisis incipit septimo die.
3. Sunt ∝ provocatorii, ii nempè, in quibus irritata natura sæpè aliquem motum Criticum instituit, & dein plenariè absolvit. Tales sunt tertius & quintus, nonus, decimus tertius, sæpè decimus nonus, & sic porrò, & sæpè sunt quasi prodromi Criseos; Reliqui ∝ sunt ∝ vacui, aliàs medicinales dicti: Vigesimus ∝ est Criticus perfectus, non vigesimus primus.

Causæ Crisium seu mutationum Criticarũ sunt vel proximæ vel remotæ: *Proxima* est ipse motus massæ sanguineæ fermentativus, seu natura fermentativo motu depurans sanguinem, qui sanguis depuratus & probè defœcatus tandem per certum locũ istas fæces deponit: Causa *Remota*, & quare præcisè die septimo accidat, & quarto indicetur, hoc turbat Autores. Omnes ad sidera confugiunt, cũ insignis sit harmonia Microcosmo cum Macrocosmo: vid. *EUSTAD. Ephem. Tom. 2. JOEL in Operib. Medicis Tom. 1. ubi de Crisibus*, & *ARCHELUS, ITALUS, in Ephemeridibus.* In specie *HIPPOCRATES* & *GALENUS* Causam, quod Crises dictis diebus determinatis fiant, ex motu ☽æ periodico petendã esse dicunt. Intelligitur autem motus lunæ periodicus, si luna peracto circuitu præcisè ad idem Zodiaci punctum recurrit: v.g. si luna esset in decimo quarto gradu Zodiaci, quamdiu totum circulum Zodiaci absolvit, donec ad hunc gradum pervenit, vocatur motus lunæ periodicus; & quia luna 4. insignes habet phases seu quadraturas, sic & ratione harum 4. sunt ∝ Critici. Totus Circulus absolvitur 27. diebus & horis, & sic non absolvit omni septimo die quartam Circuli partẽ: sed in prima quadraturæ absolvit 7. dies exceptis 4. horis; in secunda absolvit 7. dies, sed exceptis 8. horis; in tertia absolvit 7. dies, sed exceptis 12. horis, &

& ita in vigesimum primum diem pervenit terminus Criticus; quarta quadratura absolvitur die vigesimo septimo, & octavâ horâ. Verùm posito, naturam instituere Crisin, & ☽m facere tempora, tamen cùm pro circumstantiarum varietate & motus naturæ variet, variique Adspectus & varia subjecta sint, ideò fit, ut non necessariò, nec semper præcisè dictis diebus, sed modò citiùs, modò tardiùs contingant. Videatur de his *PLEMPIUS & SANCTORIUS SANCTORII* (qui unus ex Italis Veteribus, & laudem meretur) *in Commentar. in Aphorism. Hippocratis* 20. item *Methodo Vitandor. Errorum in Medic. p.* 833. *PANAROLLUS Pent.* 3. *Observat.* 39. observat Crises factas salutares sexto & octavo die, qui tamen ♂ apud Veteres semper pessimi in Crisi audiuntur; sextus enim & octavus ♂ Interfectorum dicitur.

Nostrum quod attinet Clima, rariùs apud nos, & in Climatibus frigidis, contingunt Crises, secus ac in China, aliisquè calidioribus regionibus, ubi ♎ tenuis, Victus salubrior, Temperatura calidior, Corpora magis perspirabilia, & non ratò Febres peracutæ grassant, quæ circumstantiæ apud nos deficiunt. Aër enim noster est crassior, frigidior, corpora nostra solidiora victu crassiori utentia, frequentiùs labe scorbuticâ & Acido hypochondriaco infecta, sanguine minus turgescente prædita, in Climate minus fervido ineptiora sunt, ut Criticas subeant Alterationes: quod etiam ostendit *LOWERUS in Dissert. contra Mearam, & VELSCHIUS Observ. & Curat. dec.* 10. ubi & ratione & pluribus exemplis, edocet, Criseas nō semper adeò statos observare ♂, quin propter motū ☽ævariantem sæpiùs octavus fiat Criticus. Unde sæpiùs evenit, ut subinde negligatur Crisis, partim quia juxta *HELMONTIUM* bonus Medicus eam nititur prævenire, easque medicamentis laudabilibus præcavere, quod verū est, partim quia ipsi ♂ minō certi existunt, cùm & extrà septenarios, ut jam dixi, subinde Crises laudabiles eveniāt. Si enim Crisin Medicus expectat, naturæ ægro totum onus bajulandum incumbit, Medico tantùm spectatorem agente, qui tamen naturæ sit potius minister, eamquè adjuvet: quod facit, dum Absorbentibus seu Præcipitantibus opus Coctionis promovet, & blandis diaphoreticis & aliis modis cocta sensim foras eliminat; sic enim vix expectato Criseos termino actum erit de Morbo; imò tam necessariæ non sunt, ut adeò strictè illis sit inhærendum, aut nimis anxiè illæ sint expectandæ. Signa Crisium imminentium Sufficienter & accuratè satis descripsit *MOEBIUS in Institutionibus.* Habet aliàs Annus Climactericus quasi aliquid Criticum, per septenarios recurrens, ut Crisis magna ob id aliquo modo vocari possit, de quibus ex professo scripsit *Tractatum Clarissimus SALMASIUS.*

Tantum de PATHOLOGIA. *Sequitur*

INSTITUTIONUM MEDICARUM PARS III.

HYGIENA & THERAPEUTICA.

PRÆCEPTORUM HYGIENES CAPUT UNICUM

DE RATIONE CONSERVANDI SANITATEM.

Primaria Artis Medicæ Pars est ea, quæ media tractat, quibus aut firma conservari, aut labefactata tamen restitui valet Sanitas: Illud *Hygiena*, Hæc *Therapeusis* dicitur. Res enim suprà dictæ non-naturales, cùm ex se indifferentes sint ad sanitatem & morbum, earum legitimum usum ad sanitatem conservandam & infirmitatem præservandam, *Diæta* appellatum, tàm ingenere pro quibuscunque hominibus, quàm in specie pro unaquaque determinata ætate, sexu, vitæ genere, &c. docet Hygienas, cujus generaliores regulas cum respectu ad differentes ætates hîc adnectere, & quomodo diæta sanis ordinanda? monstrare jam placet.

Fundamentum Generale legitimæ Diætæ pro Sanitate conservanda, seu legitimum regimen rerum 6. non-naturalium, subministrat *Celsus, J.C. Romanus, de Re Medica l.*1.*c.*1. dicens: *Sanus homo, qui & benè valet, & simul suæ spontis est, nullis se obligare legibus debet, ac neque Medico, neque Jatrolepto egere*; hoc est, nullis strictis Diætes regulis se alliget, sed libertate suâ utatur; *aliàs Medicè Vivere, esset pessimè vivere.* Cùm verò juxta *HIPPOCRATEM in Aphorism. Sect.*2. *Aphor.*4. & 50. *Epidem.* 6. *Sect.* 2. *F.*26. item *l. de Natura humana Sect.*26. §.2. *GALENUM l. peculiar. de Consuet. PROSPERUM MARTIANUM in Hippocratem de Aphorism. t.* 38. *VALERIOLAM Locorum Commun. l.*1. *cap.*6. & *HOFFMANNUM Institut. l.*5. *c.*50. Consuetudinis sit maxima vis in Valetudine cōservanda, morbisque curandis, ut & in aliam naturam transmutandi efficacia, hujus dictamen in 6. rerum non-naturarium usu seu Diæta imprimis est audiendum, ita ut si quis velit consuetudinem mutare, non sine corporis læsione fiat. Est enim *Consuetudo* juxta *HEURNIUM Vis quadam adscititia* qua *aliquid agere aut pati in offensa natura licet*, ita *quidem, ut* ad *eam inducendam crebra & frequens requiratur unius passio & actio*, donec hæc in consuetudinem, & hinc ex consuetudine velut in naturam abeat: unde consuetudo est altera natura, & *Consueta, licet deteriora, Insuetis sunt salubriora.*

Obviæ sunt consuetudinis potentiæ præprimis in 6. rerum non-naturalium usu, de quibus suprà in Patholog. cap. 35. sufficienter dixi: insimul, tamen & aliæ plures circumstantiæ sunt, corpori quidem nostro indifferentes, nisi per consuetudinem magis magisque determinarentur. Sic superioris nostræ Germaniæ incolæ culcitris mollioribus in dormientes, Italiæ, Galliæ & Bataviæ lectos duriores ægrè ferunt; contrà Galli, Batavi, &c. his assueti, plumeas nostras respuunt culcitras. Quo pertinet etiam, quod *SALMUTH* de tritore quodam refert, quem febre correptum herus ipsius misertus in lectum reponi curaverat, ille verò in hoc noctes insomnes agens, & in ♂ pejus habens, ab Adstantibus petiit, ut in ☷m super stramen collocaretur: quo factò suavissimè dormivit, & aliis adhibitis brevi convaluit. Pariter ipsa decubitus ratio consuetudini multum debet, per quam nonnulli, nisi supini, alii non, nisi proni, alii in latus dextrum, alii capite magis erecto, alii decliviori, dormiunt. Ejusdem conditionis est ille corporis ejusque partium situs, quem nonnulli Vigilantes per consuetudinem, interdum satis malum asservant, incedentes ore aperto, pedibus intortis, cervice ad latus alterutrum inclinant, &c. imò dari possent infinita exempla Actionum naturalium, quas sola Consuetudo immutasse aut determinasse videtur.

Sed peculiaris generis sunt Evacuationes Medicæ, v. g. Purgatio, Venæ sectio, scarificatio, &c. quas itidem, qui temporibus certis aliquoties